
Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 104 [44,-10 8°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 104 [44,-10 8°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 104 [44,-10 8°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 104 [44,-10 8°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 104 [44,-10 8°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 104 [44,-10 8°]

44,-10-8°
(LN bis 104)
DA BOX
BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 104 [44,-10 8°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 104 [44,-10 8°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 104 [44,-10 8°]

Hannoū. R. C. an. 1608.

APOLOGIA

PRO HERMANNO HAMELMANNO S. Theol. Licentiato, ejusq; Chronico Oldenburgico

AD

MANDATUM ILLUSTRIS ET GENEROSI DOMINI D. JOHANNIS COMITIS IN OLdenburg & Delmenhorſt, Dynaſtæ in Ievern & Kniphauſen, &c.

ADVERSUS

VIRULENTAS ET LASCIvas calumnias Vbbonis Emmii Grethani, Scholæ Groningana Rectoris.

EMISSA ET EDITA

A

Gerhardo Giſekeno Oldenburgico JC.

LEMGOVIAE,

ANNO M. D. C.

F.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 104 [44,-10 8°]

Ex libro ſecundo,

HEROUM SAXONICORUM HENRICI MEIBOMII Poëtæ Cæſarii, Profeſſoris Hiſtoriarum & Poëſeos in Academia Julia.

HERMANNUS HAMELMANNUS.

Quæ fuerant tenebris & opaca condita nocte
Geſta patrum, calamo ſunt patefacta meo.
Irriſit livor, roſitque calumnia mordax,
Auſa nimis celeres improperare manus.
Non nego, ſed fateor quod carpitis: hoc ego quæro,
Ut ſcriptis inſint non niſi vera meis.
Dum ſtudeo veris, quæ nuda & plana, decori
Nulla mihi ornatûs cura ſtylive fuit.

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 104 [44,-10 8°]

PRO HERMANNO HAMELMANNO S. Theol. Licentiato, ejusq; Chronico Oldenburgico.

ADEO nunc in omnes & in omnia per univerſum orbem graſſatur comitata Furiis ἡ διαβολὴ, ut tutum non ſit ullum emittere librum, niſi ſatellitio munitum. Tàm rarus enim hoc exulceratiſsimo ſeculo eſt numerus eorum, qui candidé de aliorum laboribus judicent, bona laudent, minus veró propria vel congrua, lenitate & ἐπιεικείᾳ quadam corrigant, ut citius corniculas in Africa, quàm ex multis unum talem hominem reperias. Imò quotidié naſutulos & ſemieruditulos quoſdam, ſiniſtra Minerva natos, deprehendere licet, qui, ſi voculam quandam vel aliud quidpiam in ſua officina invenerint, perinde quaſi Babylonem ceperint, geſtiunt, exultant,

triumphant, officiumque ſuum aliis velut exprobrant: & rurſus, qui cum ingenium experiri, quid poſsit ſuum, volunt, ſi quis verbo diſſentiat ab iis, quæ illi imbiberunt, (præ quibus nihil non putet,) ſtatim dentatas quasdam chartas, non equidem atramento, ſed ſucco loliginis & ſale nigro ſcriptas imbutasq; emittunt, imo non aliter atq; pro focis & aris digladiantur, & in aliena ſcripta non Ariſtarchicam, ſed Phalaricam quandam tyrannidem exercent. Et ut uno verbo dicatur, Non ſententia, ſed verbum aliquod à calente calamo anceps effugit? Ecce calumniarum ſubitus & magnus ignis exoritur, & livida illa Dea, diſsimulatis tàm multis, quæ rectè dicta ſunt, hoc ſaltem maligno dente rodit, quod forte fortuna ex imbecillitate ingenii humani excidit, & absq; ullo periculo, ad rectius monentis conſilium, emendari poteſt. Quid autem iſta quidvis pro libitu calumniandi febris hacte-

nus aliud progenuit, quàm amarulentiam & diſsidia? Quàm fœcunda inde per aliquot annos in nundinis Francofurtenſibus Bibliopolarum meſsis, cū multorum, eheu, damno & diſpendio?

Veruntamen hæc eo ſenſu non dicuntur, quaſi quorumvis ſcripta, absq; omni cenſura, ſtatim pro oraculis & κυρίους δόξας ſint habenda, eorumq; auctores mox ambroſia ali debeant. Nemo enim bonus unquam cenſuram eſt aſpernatus, imò ſicubi deflexit, patitur ſe non ſolum corrigi, ſed etiam punctiunculis quibusdam corripi, maximé cum de animo corrigentis conſtat candido.

Nec vel tantillum offenditur, ſi quis ſua ſcripta, quantisvis vigiliis parata, caſtiget eruditior, locupletet diligentior, digerat exactior, illuſtret eloquentior, expoliat otioſior, vindicet felicior, dummodò id fiat cum Chriſtiana modeſtia, absq; ulla maledicentia & acerbitate. Ut enim non parum noſſe, ſed in parum

cognito ſtulté & diu perſeverare turpe, & hoc amplius ut ingenuum: ſic & ad eruditionem conducibile eſt, non diſsimulare ſicubi lapſi ſunt auctores: Ita probi hominis eſt, à convitiis ſibi temperare, & ita mederi malo, ut (quoad licet) non lædas hominum exiſtimationem; ſiquidem quod contumelioſé diſſentit, duplex ſumit ac faceſsit negotium, geminumq; malum accerſit, dum & famam lædit alienam, & ſibiipſi maledicentiæ ſuſpicionem conciliat. Atq; ideò præclaré admodum ſcripſit Tullius lib. 1. de finibus: *Diſſerentium inter ſe reprehenſiones non ſunt vituperandæ: maledicta, contumeliæ, tum iracundiæ, contentiones, concertationes, quod in diſputando pertinaces, indignæ philoſophia mihi videri ſolent.* Eodem etiam reſpexit Pindarus, dum inquit:

Ἔλεγχ᾽ ἐλέγχου, λοιδορεῖσθαι δ᾽ οὐ πρέπει
Ἄνδρας φιλοσόφους, ὥσπερ ἀρτοπώλιδας.

Hoc eſt *(conviciari vero*
Reprehende, & viciſsim reprehendi te ſine,
Viros philoſophicos, velut piſtores, non decet.

Et quid

Et quid, quæſo, vituperones & carptores illi, qui tàm ferociter, & cum extrema mixtione fellis, præterito dijudicandi reſpectu, in aliorum ſcripta deſtomachantur, eaque miro faſtu aſpernantur, quin etiam ne minimo quidem verbulo laceſſiti, illud ſaltem in votis habent, ut iis notam & labem aliquam aſpergant, aliud agunt, quã quod canes, qui obvios quosque ſine cauſa aut diſcrimine allatrant? Sanè veteres, & quidem Ethnicos, æquius melius ſenſiſſe, multisq́ lapſibus candidè faviſſe, vel ex eo liquet, quod juxta Mercurii ſtatuam Gratiarum item poſuerunt. Ab optimi enim hominis ingenio & moribus alieniſsimum eſſe putabant, veſtigandis aut inſectandis aliorum erratis αὐτομάτως operâ conterere, & arrepta veluti cenſoria virgula, de aliorum ſcriptis magna auctoritate pronuntiare, eosq́ ceu præceptor quiſpiam flagellare & emendare. Nota porrò eſt & Quintilii Vari modeſtiſsima, ſed hodiernis temporibus nigro Cygno rarior, cenſura, cui

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 104 [44,-10 8°]

—— Si quid recitares, corrige, ſodes,
Hoc ajebat, & hoc, melius te poſſe negares,
Bis terq; expertum fruſtra debere jubebat,
Et malè tornatos incudi reddere verſus.
Si defendere delictum, quàm vertere malles,
Nullum ultra verbum, aut operam ſumebat inanem,
Quin ſine rivali teq; & tua ſolus amares.

Quæ quidem omnia, & quæ præterea in eandem ſententiam haud difficulter annotari poſſent, ſi aliquanto exactius in quotidiana hominum converſatione obſervarentur, tunc & inſatiabile illud quidvis divulgandi & cavillandi cacoë, thes funditus in benè conſtitutis Rebuspublicis extirparetur, imò multi, hoc vel illud ſcribendo, ipſimet ſeſe non proſcriberent, nec pleræq; argutiæ ſuorum auctorum veræ fierent ruinæ, ac minus quoq; haberemus diſsidiorum & traductionum, quibus abſtergendis hodie vix Oceanus ſufficiat.

Ne verò iſta ad iſtum modum ἐν τῇ

θέσει benevoli lectoris oculis nudé tantum ſubjiciantur, ideò & in hypotheſi manifeſtiſsimum exemplum proponendum eſt, hominis adeò malo more, malo jure inſolentis, ut dubium relinquatur, ejus ne potiùs incogitantiam, an verò impudentem calumniandi & injuriandi innocentem virum, ejusq; operas, libidinem mirere.

Poſtquam enim Generoſus & Illuſtris Dominus, Dominus Ioannes, Comes in Oldenburg & Delmenhorſt, Dynaſta in Jevern & Kniphauſen, anno nonageſimo nono jam elapſo, Chronicon quoddam germanico idiomate, de proſapia Generoſiſsimæ antiquiſsimæq; Stirpis Oldenburgicæ, deq; rebus aliis in celeberrima hac familia geſtis, per Reverendum virum Hermannum Hamelmannum S. Theologiæ Licentiatum, & Comitatus Oldenburgici quondam, ut vocant, Superintendentem, ſocerum meum chariſsimum, non ita pridem

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 104 [44,-10 8°]

conſcriptum, typis evulgari curavit, futurum ſperans, ut aut operæ illæ ex niveo auctoris pectore profectæ bonis æquisq; æſtimatoribus (δυσκάλους enim quis moretur Criticos;) probarentur, aut ſi alicubi eum ex imbecillitate ingenii humani, perq; incuriam lapſum eſſe ac cœcutiiſſe contingeret, nec non doctiorum emiſsitii oculi σφάλματα quædam reperirent, modeſtè & ſincerè ea obſervarent iſti, ac ſine ulla procaci ſugillatione de illis, non ex abrupto, ſed oportuno loco & tempore, amanter monerent, corrigerent talia, & meliora ſuggererent, inprimis in memoriam ſibi revocantes illud Homeri Odyſs. T.

Ἀλλ᾽ οὐ γάρ πως ἔστιν ἀΰπνους ἔμμεναι αἰὲν
Ἀνθρώπους. h. e.

Haud quaquam fieri potis eſt, ut pervigil usq;
Mortalis duret.

Ecce præter omnium exſpectationem, Lugduni Batavorum, ex officina Chriſtophori Raphelengii, prodit libellus hoc titulo: *Rerum Friſicarum Hiſtoriæ De-*

cas tertia, ad ampliſsimum ac prudentiſsimum Senatum Groninganum; annexam habens in veſtibulo præfationem ſeparatam ad Lectorem, in qua autor modò dicti libelli, ante annos novem Vbbius Emmo, nunc verò Vbbo Emmius vocatus, origine Friſius Orientalis Grethanus, nunc Scholæ Groninganæ Rectorem agens, præfatum Licentiatum Hamelmannum ejusq́ Chronicon Oldenburgicum, poſt ſatis duriter exceptum & tractatum Pontum Heuterum Delfium Hollandum, quaſi in ſcenam introducit, inq́ eum non aliter it pugnis, quod ajunt, & calcibus, ac ſi ſenſibus orbatus cum apertiſsimo hoſte pugnet & confligat. Imò poſtquam hominem pium & innocentem, quin etiam ante quadriennium jam defunctum, ratione anteactæ vitæ & evulgatorum ſcriptorum fœdiſsimo turpis convitii cœno inhumaniter lutulavit, mox in ejus in conſcribendo Chronico Oldenburgico adhibitas

operas invectus, eum, ſi Diis placet, ut nugatorem & fabulatorem, mendacii, ἀνισορησίας, falſitatis, figmentorum, & in ſumma, extremæ vanitatis coarguere laborat.

Illi, quibus hujus Væſani hominis petulantia ab aliis relata fuit, ab initio (cum alias illi, poſt lectionem primæ & ſecundæ Decadis non admodum eſſent iniqui) ſibi vix perſuadere potuerunt, in quenquam, & præſertim in juventutis Groninganæ informatorem, ſedatam, ut fama eſt, & Theologicam quandā manſuetudinem præ ſe ferentem, nulla injuria, quid injuria? Imò ne verbo quidem vel ictu oculi, quantum illi noſſent, unquam ex Comitatu Oldenburgico laceſsitum, tantam bilem, tantamq́ maledicendi promptitudinem cadere poſſe.

Quæ enim, inquiebant, eſt iſta protervia, ut aliis bonis eruditisq́ viris tacentibus, hic Vbbius Emmo vel Vbbo Emmius, quaſi ex Archilochi patria, vel

etiam ex Plotis oriundus, ſolus arietem emittat, & ut importuna muſca in pultem ita is in alienas operas ἔξω σκοποῦ irrepat & irrumpat? Quæ etiam illum, addebant, coëgit neceſsitas, ut non provocatus, nec à ſuperioribus ſuis ſcribere juſſus, antequam vel integrum Chronicon Oldenburgicum accuraté perlegeret, vel ea, quæ quaſi è plauſtro ſparſit convitia, ruminaret, tàm injurioſam præfationem tertiæ ſuæ Decadi adeò feſtinanter, atque ἔκτος τῶν ἐλαίων, allineret, maximé, quia omnia illa, quæ iſte, ut canis, allatrat, ab iis quorum explicationem & elucidationem in illa ipſa tertia Decade ſatis pompoſé promittit, δὶς διὰ πασῶν diſtant, nullamque inter ſe vicinitatem & ſimilitudinem in perſonis ac rebus habent? Mirabantur quoque illi ipſi, hunc hominem, paſtoris filium, Theologiæ, ut audirent, addictum, qui ante aliquot annos in arenam adverſus D. Danielem Hoffmannum deſcendens, in ipſis fori-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 104 [44,-10 8°]

bus ſuæ reſponſionis modeſtiam oſtentaſſet & prædicaſſet, adeò degeneraſſe, ut omnis humanitatis, modeſtiæ, & candoris, imò ſui ipſius oblitus, tanquam tertius ex cœlo delapſus Cato, tetricum jam & mordacem cenſorẽ, absq; omni modeſtia, ageret, nec recordaretur, ſe olim in præfatione primæ Decadis omnium applauſu ſcripſiſſe:

Eum qui errori humano, præſertim in rebus vetuſtis & obſcuris, ſuccenſendum potius quàm ignoſcendum putaret, parum humanum, imò iniquum & ſuæ conditionis aut neſcium aut immemorem eſſe.

Subjungebant itidem, ejus cenſuram aliquo modo tolerari, quinetiam illum ipſum apud cordatos pacatosq; homines gratiam inire potuiſſe, ſi ad præfationi Hamelmannicæ inſertam, in procœmio iteratam, in calce deniq; tertiæ partis repetitam, ipſi autem Vbboni nunquam, ante evomitum virus hoc, viſam vel lectam petitionem, attentus, ſtylum ma-

numq́ꝫ ἐπιεικείᾳ quadam temperaſſet, conviriis injurioſis abſtinuiſſet, errores & lapſus, ſi qui eſſent (de quo deinceps videbitur) candidé & absq́ꝫ faſtu notaſſet & monſtraſſet, vel potius, ad evitandam omnem ſiniſtram maledicentiæ & ex iratis affectibus corrupti præoccupatiq́ꝫ animi ſuſpicionem, ambigua quædam ulcera reliquiſſet, quàm omnia inimico & præcipiti ferro abſtuliſſet.

Potuiſſe eum alia ratione clarum & immortalem fieri, nec opus fuiſſe, ſibi ſtadium hoc τῆς λοιδορίας extruere, & Hamelmannum jam defunctum, nihilq́ꝫ aliud, quàm carnis reſurrectionem æternamq́ꝫ beatitudinem exſpectantem, cum quo decurreret, imó in quem incurreret, ſibi adjungere, & quod pejus eſt, ad promerendum nomen Hamelmannomaſtigis ejus vitam & ſcripta ἐσκιμαλίζειν.

Hoc amplius ſuſpicabantur illi, de quibus ſupra, procul dubio aliquid

monſtri aliquod Suffridus Petri Leovardienſis, ratione ſuorum ſcriptorum, leviter tantum in ſpeciali quadam præfatione primæ Emmonicæ Decados (nam de loco ibidem pag. 22. & pag. 118. nominatim taxato nunc non eſſe agendi locum) ratione ſenii, & fabularum Hiſtoriæ ſuæ Friſicæ immixtarum, non addita τῇ ἀνασκευῇ vel ſufficienti fundataq; earundem refutatione, perſtringeretur; Cornelius Kempius Doccumienſis porrò, qui de origine, ſitu, qualitate & quantitate Friſiæ, & rebus à Friſiis olim præclaré geſtis quoq; ſatis multa non ita pridem ſcripſit, latere prorſus tecto innoxius diſcederet, defunctus Hamelmannus verò ſolus, qui nec equos unquam vel boves, ut in proverbio fertur, Vbboni ſubduxiſſet, tàm indigné, ratione etiam anteactæ vitæ, vapularet, cum tamen nominati duo auctores multó melius ſcuticam illam Vbbonicam ſentire deberent; cogitabantq; calciamentum

iſtud conſuiſse quosdam Hiſtiæos, Emmium verò Grethanum tanquam Ariſtagoram induiſſe, neq; unquam tam temerè Abydum navigaſſe, niſi Palinurus quidam inſtigaſſet, & periculum omne extenuaſſet.

Quanquam iidem ſibi perſpectum eſſe dicebant, hæc valdé temeré & periculoſo admodum eventu fieri, utpote quibus alta mente repoſtum maneret, multis quidem linguam, cæterum aliis acutiſsimos dentes fuiſſe, imò nonnullos id, quod non probé conſiderato & perpenſo prandii capite, nimis avaré intriviſſent, vix exedere potuiſſe. Et proinde ſe ex prædictis omnibus nihil aliud colligere poſſe concludebant, quàm Vbbium Emmium pruritu vanæ gloriolæ incitatum, vel etiam præcocis & malé cocti conſilii vortice abreptum, imbibitum illud abſynthium maledicentiæ non concoquere potuiſſe, ſed omnino Achivos à turre judicare, & de Hermanno Ha-

melmanno ſpolia ampla referre, eumq; conſpuere voluiſſe.

Hæc quidem illi, quibus alii, de toto hoc negotio accuratè edocti, haud inviti quoq; calculum adjecerunt, & quidem meritò. Quem enim ò Vbbo Emmi Grethane (ad te namq; & tuam famoſam præfationem nunc tandem convertenda eſt oratio) colorem importuno & laſcivienti tuo ſtylo induces? Hominem crede innocentem (vertas te etiam in quascunq; libet formas) arroganter momordiſti, nihilq; aliud, quantum in te fuit, agere conatus es, quàm ut ille de poſſeſſione dejectus, auctoritatis, fidei, famæ, imò & ſalutis (eo ipſo, quod de defuncti vita judicium tibi ſumſiſti) apud quoscunq;, qui virulentã tuam præfationem legent, naufragium faceret: Illuſtris verò & Generoſus Comes Oldenburgicus, cujus auſpiciis Oldenburgicum Chronicon lucem videt, apud vicinos & exteros traduceretur & malé audiret. Hæc-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 104 [44,-10 8°]

cine decuerunt hominem literatum & Chriſtianum? Ejusne fuit ſiniſtré interpretari quæ dubia ſunt, exaggerare quæ levia, calumniari quæ recta? imò ad petitionem pro adhibenda modeſta cenſura, ſentibusq́, ſi qui eſſent, eruncandis, non aliter ac aſpis ad vocem incantantis, aures obturare?

Levia fortaſsis hæc homini effronti & vana perſuaſione excæcato videntur, ſed longe aliter ſentient procul dubio illi, quibus niveus ille candor pectus tinxit. Non magis enim probis unquam probatus ille eſt Ariſtarchus, qui quidem in aliorum ſcriptis tàm acutum cernens,

Quàm aut Aquila aut ſerpens Epidaurius,

auctorem forte fortuna alicubi lapſum dente Theonino arrodit & vellicat, nec tamen lapſo ſuccurrit; aut ſaniora profert, quàm Chirurgus aut Medicus, qui vulnera quidem infligunt, non

autem ſanant, qui nocent, non juvant, maculant, non depurant, imò loco cauterii, medicamentorum & catharticorum, ægroto vulnera, vomicas, & carcinomata ſalſé exprobrant. En quo te ò Vbbo (de te enim hæc narratur fabula) væſana illa convitiandi ſcævitas transverſum abripuerit, quàm longé tu à perfectione illa Chriſtiani cenſoris abſis, ne dicatur, quantum deceſſurum ſit tuæ modeſtiæ, quam in ſcripto tuo contra Hoffmannum, te Genevæ & Roſtochii hauſiſſe & uſurpaſſe, tantopere deprædicas. Notum utique, notum eſt, *quod*, ut ait Stobæus, *in arrogantia, quemadmodum in armis auratis, non ſimilia ſint exteriora interioribus*.

Sed habendæ nihilominus interim ſunt DEO Optimo Maximo gratiæ, quod ut Hieron. *lib.* 2. *apolog. adverſus Ruffinum* ait: *Malitia non habet tantas vires, quantos conatus, & quod nequitiæ non ſemper juncta eſt potentia.* Tu enim (metuens,

ut ſeculum hoc ferax eſt Zoilorum & Momorum, ne alii hîc te anteverterent) feſtinaſti, ſudaſti, & connixus es, ut omninò ad ipſas nundinas Francofurtenſes Vernales Decas tua tertia, cum famoſa tua præfatione, in lucem ederetur. Quo fine? Ut ſi calumniæ illæ tuæ in improvidi (non certè amici, ſi intentionem tuam probè noverit) lectoris manus citius pervenirent, quàm Chronicon Oldenburgicum, quod poſtridie Calendarum Martii nondum perfectum erat, multò minus publicè venale proſtabat, extemplò illi ulterius legendi & perluſtrandi iſtius Chronici faſtidium pareres. Sed ſanè funis ille tuus nihil attraxit. Legerunt enim admodum multi & deinceps legent hîc & alibi, qui de tuis convitiis ne fando quidem audiverunt, eaq; nec titivillitio emerint, ut ita te aculeonem & ſuſurronem fuiſſe, hac vice nihil obfuerit.

Fortaſsis etiam opinatus es, futuram

hîc ἑτερομόλιον δίκην, ubi impuné cum larvis luctari, defunctum contumelioſè inquietare & inquinare, ac ut paucis multa complecti liceat, immiſſo jaculo, ut Veſpæ ſolent, aufugere poſſes? Sed fruſtra mi Suffene. Non enim Comitatus Oldenburgicus (abſit invidia dicto) meros producit ac alit fungos, bardos, & blennos, qui tantum non didicerint, ut vel hominis innocentis famam (Chriſtiana charitate ita jubente) defendere, vel inſolentem tuum faſtú aliquo modo contundere, vel etiam te, tanquam inhumanam κατπαλάλον τίνα, deprehenſum circulo Popiliano includere, conſtringere & tenere poſsint, ut, antequam inde excedas, vel tueri cogaris quod dixiſti, aut ut mutuum recipias. Quin potius mecum omnes boni, & Generoſiſsimæ antiquiſſimæq; familiæ Oldenburgicæ faventes viri, conjunctis viribus, absque ulla τῆς πολυπραγμοσύνης inſimulatione, actutum tuam maledicentiam oppugnatũ ibunt,

cum utique non de oleaſtro aut puticis morſu certamen inſtitueris, ſed partim hominis, ut aliquoties dictum, innocentis defunctiq́ famam, etiam apud Ethnicos exoſo exemplo, virulenter arroſeris & denigraveris, partim Illuſtriſsimæ domui Oldenburgicæ, & ex ea deſcendentibus Regibus Daniæ & Ducibus Holſatiæ dicam ſcripſeris, eo ipſo, quod te non puduit temerario auſu in illorum primævam originem ex VVitikindæa familia initia trahentem, ut & in majores illorum Vlricum, Ottonem, Joannem, Hunonem, Fridericum, ac reliquos inquirere & invehi.

Neque eſt, quod hîc à quoquam, quem præſens negotium vel principaliter vel in conſequentiam concernit, blandiloqua expectes verba, quis enim tibi mel pro felle reponat? Hypponax & Archilochus eſſe voluiſti? En legis Rhadamanticæ amantes & retaliantes;

Atq; hos par ſcito reddere poſſe pari.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 104 [44,-10 8°]

Non enim ignorare potes verſiculum, quem Quintilianus vulgò jactatum citat:

Non malè reſpondit, malè enim prius ipſe rogârat.

Quin vel Scholaſticis tuis è trivio notum eſt:

Qui quæ vult dicit, quæ non vult audiet.

Proculdubio etiam legerunt illud Chilonis apophtegma: μὴ κακολογεῖν τοὺς πλησίον, εἰ δὲ μὴ ἀκούσεσθαι ἐφ᾽ οἷς λυπήσεσθαι. *h. e. non eſſe maledicendum iis, quibus cum agimus, alioquin audituros, quæ moleſtiam adeferant:*

Nec ſanè ictum illum hoc excuties clypeo, quod Suffridum quidem Petri in prima operis tui parte egregiè quoque reprehenderis & caſtigaveris, nec tamen ob id Statuum Friſiæ, ſub quorum nomine & patrocinio ille ſcripta ſua emiſerat, offenſionem incurreris. Indè ne enim efficies, ut in quosvis alios quoque, aquam tibi neutiquã turbantes, ſub prætextu alicujus prætenſæ libertatis hiſto-

ricæ, qua mirum in modum & quidem petulanter paſsim abuteris, indiſcriminatim arietes & incurras? Scilicet. Quin potius, Vbbo, aliud eſt veritatem dicere, aliud λοίδορον eſſe, aliud errantem urbanè & civiliter monere, aliud eundem extremé vilipendere, irridere, imò in omnibus Bibliopoliis Germaniæ & Belgii, quin etiam in Sympoſiis veſtris deridendum propinare. Sed benè ſe nihilominus res habet, quod utriusque veſtrum ſcripta non tantum leguntur à Friſiis, ſed & ab aliis, qui caudæ & capitis diſcrimina æquè noverunt, quibus libertate judicandi, ac te tuumq; ominoſum nomen viciſsim irridendi publicandiq;, nunquam interdices. De Suffrido Petri, quem clariſsimo illi Regnero Prædinio ſucceſſorem deſignatum eſſe novimus, in præſentiarum præterea nihil, niſi quod ſubſellium ipſius à te inſeſſum propter nobiles illos Friſiorum juvenes dolemus, ac certò ſtatuimus, egregios il-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 104 [44,-10 8°]

los & πολιτικωτάτους VVeſtfriſiæ Patres conſcriptos immodeſtiam tuam diſsimulare, quàm coercere maluiſſe. Illine enim tecum litigarent? Non dignantur.

Tu ſi forté cornua hîc ſumere, & tactus iraſci volueris, relinque quartam tuam Decadem, quam parturis, tantiſper, donec ex Terentio tuo, ad ſedandum hunc animi morbum, pharmacum illud haurias, quod is in ſequentibus verſibus tibi tuiq́ ſimilibus propinat:

—Si quis eſt, qui dictum in ſe inclementius
Exiſtimat eſſe, ſic exiſtimet: ſciat
Reſponſum, non dictum eſſe, quia læſit prius.
Hic reſpondere voluit, non laceſſere,
Benedictis ſi certaſſet, audiſſet benè.
Quod ab ipſo allatum eſt, ſibi eſſe id relatum putet:
Dehinc, ut quieſcat, moneo, & deſinat
Maledicere, malefacta ne noſcat ſua.

Quod igitur felix & fauſtum ſit, videamus tandem, quid Vbbonem Emmium Grethanum ad cornicum, quod

ajunt, oculos configendos, tantamq́ maledicentiæ bilem evomendam, ab initio impulerit, & quam rem Licentiato Hermanno Hamelmanno, piæ memoriæ, det vitio, propter quam adeò tetras in eum ſparſit notas.

Narrare ſané id nemo rectius poterit, quâm ipſe Emmius, qui in aditu præfationis ſuæ his verbis ſeſe explicat: *Cum hiſtoriæ*, inquit, *noſtratis partem hanc ad typographum jam miſiſſem, forte venêre ad manus meas hiſtorici libri duo diverſorum auctorum. Quorum uterq; vicinorum geſta exponens, cum in res Friſiæ frequenter incurrat, interdum etiam eas fuſè memoret, ſæpiſſimæq; in iis hallucinetur, nonnunquam quoq; latè à vero recedat, de utroq; monendum oportunè lectorem putavi. Prior & quidē haud parum altero melior, Pontus Heuterus Delffius Hollandus &c.*

En, lector benevole & amice, occaſionem totius Declamationis Vbbonicæ, in qua tamē aliquid latet, quod ante omnia eſt excutiendū. Non enim immeritò quis ab Emmio quæſierit, cū poſtridie Calen-

darum Martii Chronicon Oldenburgicum adhuc in frontiſpicio ἀκέφαλον. h.e. absq; præfatione & proœmio, imò & in calce imperfectum fuerit, typographiq; fide data ſanctè receperint, ſe nullum exemplar, imò ne ternionem quidem dolo malo & clanculum, absq; juſſu & conceſsione Illuſtris Comitis Oldenburgici, divulgaturos, multò verò minus hiſtoricus hic liber ante perfectionem in civitate Oldenburgenſi venalis haberi potuerit, quî & à quo ad manus ipſius, Groningæ habitantis, nihilominus, & quidem forte, pervenerit. Vel ſi etiam non magnopere cuiquam laborandum, qua tandem ratione is illum ſit nactus (quamvis avaritiam quorundam lucello hic fidem poſtpoſuiſſe, ac innocentem ovẽ mordendam deglubendamq; prodidiſſe, quis dubitet?) de eo tamen ſecundo loco ſe edoceri non injuria quis poſtulare poterit, quæ illum porrò adegerit neceſsitas, bonos illos viros, Heute-

rum & Hamelmannum reſpectu tertiæ Vbbonicæ decados plané προτακτικὰ πρόσωπα, h. e. perſonas extra argumentum accerſitas, conjunctim in aciem producere, ſiquidem neuter eorum, utcunq; res Friſicas aliquando attingat, & ſuis operis immiſceat, hac ipſa tamen hiſtorica relatione (quam Emmius nominatim carpſit & perſtrinxit) luminibus ipſius obſtruxit, & quidem in illis, quæ ab anno 1429. usq; ad annum 1494. in ſæpe dicta tertia decade eſt proſecutus, ut ita nullo magis alieniore loco, quàm in veſtibulo hujus libri, ambos hos auctores, homines aliàs pacatos & tranquillos (rumpantur ut ilia Momis) ipſiusq; capiti coronam neutiquam detrahentes, ad ferulam vocare potuerit.

Niſi forté id ipſi in narrandis rebus Friſicis peculiare jam eſt factum, & proinde deinceps indulgendum, ut ſemper loco prologi ſcriptorem aliquem introducat, quem naſo adunco ſuſpendat &

ſub-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 104 [44,-10 8°]

ſubſannet, Suffrido Petri in prima, Heutero & Hamelmanno verò in tertia Decade idipſum atteſtantibus, adeò ut mirum videatur, in editione ſecundæ decados neminem tum temporis præſtó fuiſſe, qui iſtum ludum itidem luderet. Utut ſit, credibile & πιθανον valdé eſt, Heuterum dicis cauſâ, ac ideo tantum Hamelmanno fuiſſe adjunctú, ut invidia apud alios nonnihil minueretur, nec fautores Hamelmanni perſentiſſerent, famam caputq; illius præcipué peti. Cur enim Heutero alioquin ab Vbbone *gratia haberetur, quod conatus ſit, & venia concederetur, quod non ſit id, quod voluit, conſecutus*: Hamelmannus verò non impetrata ulla humani fortuitiq; nec dum demonſtrati & confeſſati lapſus condonatione, tâm inclementer prorſus condemnaretur & de ponte dejiceretur? Nam quod quidam murmurant, Vbbonem ob id præfatis auctoribus forte ſuccenſuiſſe, quod à tractandis rebus Friſicis omninò non

abſtinuerint, nimis inſolens & craſſum eſſet, ſi etiam in interiori animo iſta ſibi perſuaſiſſet. Quis enim iſtum ad ſcriptionem rerum Friſicarum ſolum conduxit, reliquis ſilere juſsis? Illéne hic ſolus Solon & Calliphanes? Illéne cum ſuis decadibus ſolus Friſicus erit Livius, cui cæteri herbam porrigant? Certè, qui Friſicis rebus Oldenburgica & multa alia exotica infarſit, cur non eadem lege alios, ſe etiam meliores, uti permitteret? Quæ porro ſæpè dictis hiſtoricis objiciuntur hallucinationes, præterquam quod adhuc κεινομέναι ſunt, nec præſentis Friſiæ ſtatum libertatemve infringunt, inſuper etiam non ſunt tanti momenti, ut propterea omnem candorem exuere, Sycophantam & vitilitigatorem agere, leonemve tondere oportuerit.

Nam ea cauſa, quam Emmius prætendit, & ob quàm tàm acriter inſultavit Hamelmanno, quaſi nimirum

ſibi & patriæ ſuæ atrocem in Chronico Oldenburgico inuſſerit injuriam, eo ipſo, quod aſſeruerit, Friſiæ quasdam partes Comitibus Oldenburgicis ante ſexcentos annos fuiſſe ſubjectas, inſtigante veró Archiepiſcopo Bremenſi Alberto ab eis deſciviſſe & rebellaſſe, tota eſt commentitia, & ad perſtringendos incauti lectoris oculos ſaltem aſſumpta. Quæ enim injuria eſt, ubi injuriandi nullum propoſitum, nulla voluntas? Quæ itidem injuria eſt, ſalva libertate ingenui hominis & certis conditionibus Generoſis & Inclytis Comitibus quondam paruiſſe, illorum verò jugum poſtea excuſſiſſe? Et ex quibus deniq; indiciis liquet, iſtam injuriandi πϑοαίρεσιν Hamelmanni cor obſediſſe, quum ſolummodò illud hiſtoricè retulerit, quod in patriis annalibus toties eſt repetitum & inculcatum, non quidem in odium & contumeliam Friſiorum, qui etiam ob ſeductionem & inſtigationem Archiepiſcopi

magis veniunt excuſandi, quàm culpandi, ſed ne apud alios, quibus iſthæc omnia apprimé ſunt nota, ſuſpicionem non fidi exſcriptoris incurreret?

Ac licet tu centies ingemines, ad ravim uſque clames & deblateres, Friſios tuos omnes, à calvo ad calvum, liberos & francos fuiſſe, nemo tamen Oldenburgicorum id in Friſiis, Comitatui Oldenburgico tempore Comitis Hunonis & majorum ipſius, conterminis & viventibus tibi largietur, priusquam aſſertam illam libertatem univerſalem cui in annalibus Oldenburgicis tàm conſtanter annotata ſubjectio (ſervitutem enim illiberalem & barbaricam nemo aſtruit) è diametro repugnat, ad oculum demonſtraveris. Hic Rhodus, hic ſaltus. Sed lenté, ne cadas Vbbo. Utq; eò facilius hoc loco, popularem actionem nomine patriæ tuæ quodammodo inſtituens, βραβεῖον in medio poſitum auferas, ne obliviſcaris tabularum Caroli Mar-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 104 [44,-10 8°]

telli, vel Caroli Magni, vel etiam Henricorum Impp. libertatem Friſonicam καθόλου ſancientium, quarum meminiſti decad. 1. pag. 180. 181. & 182. (meminit & Crantzius lib. 10 Vandaliæ. cap. 32.) In membranæ enim parte exteriore ſive à tergo majuſculis literis, cum Oldenburgici Annales usque adeò tibi ſordeant, prædicta etiam omnia conſcripta eſſe, ſi accuratius inſpexeris, deprehendes.

Nunc progrediamur. Et quanquam de Heutero ulterius hîc loqui ἀπροσδιόνυσον eſt, condolendum tamen ipſi videtur, quod pro laboribus ſuis nullam aliam retulerit gratiam. Profectò, qui exquiſitiſsimum opus genealogicum Hieronymi Henningii legit, & ſtirpem Dynaſtarum Heusdanorum & Arenbergæ, familiamque Arculeam, Egmondanam, Iſelſteniam, Comitum Buræ, VVaſſenariorum, Culenburgorum, Vianenſium, Lalanam, Lanojorum perluſtravit, huic ſatis conſtat, illum virum in percen-

ſendis prædictis familiis ab Henningio magni fieri. Ac quamvis eú Emmius peſſundare anniſus fuerit, non tamen ob id

Amphitryoniades protinus alter erit.

Sed a' Ponto Heutero ad Hamelmannum jam itur, & his quidem verbis: *Alter Oldenburgicæ ſcribere profeſſus idiomate Germanico, autor multò ineptior & deterior, quàm multas nobis fabulas pro hiſtoriis vendit.* Idiomati Germanico, Vbbo, non opus eſt hîc hederam ſuſpendere. Qui enim illud callent, probé noverunt, ejus majorem uſum eſſe in tota Germania, quàm linguæ latinæ, nec minus illo, quàm hâc, ſenſa animi, imò & totius Romani Imperii auguſtiſsima ſecreta, tractari & explicari poſſe. Te igitur in Germanico ſtylo vix balbutientem (ut αὐτόγραφον tuũ indicat) hîc minime ferent judicem, niſi forté jam non amplius purpura ad purpuram eſt judicanda, ſed Panidis ſuffragium ſimpliciter admittendum, quód tamen tum demú fiet, cum mula pepererit.

Quis unquam putaſſet te tàm matulam? Ite nunc vos Germani, & ab hoc Mida, relicto Apolline, Germanicæ ſcriptionis locutionisq́; formam diſcite.

Sed mittamus hac vice te, tanquam Friſicum quendam Salluſtivum, & inquiramns, cur Oldenburgica ſcribere profeſſus, auctor tibi multò ſit ineptior & deterior? An quia fortaſsis, non ad tuam ſalivam vel ſtomachum? Putasne illum ab omnibus, imò & ab illis qui in peritorum albo merito ſunt, faſtidiri, quia tu forté ad illum nauſeas, Æſopico illi gallo haud diſsimilis, qui pretium margariti non modò non dignoſcebat, ſed etiam deſpicabatur? Delicatule, legiſti ne?

———Quod diſplicet illi
Hic amat, hic laudat, quidquid damnatur ab illo.

Cur tu tuo non uteris cothurno, aliisq́; ſuos relinquis ſoccos? Quis præterea etiam tibi credat, niſi forte cerebrum non in capite, ſed in calcaneis geſtet, ab Ha-

mel.

melmanno fabulas pro hiſtoriis venditas eſſe? *Fabula enim eſt*, definiente Aphthonio, *oratio falſa, ſimilitudinem exprimens veritatis*, h. e. ut Quintilianus loquitur, *quæ non à veritate modò, ſed etiam à formâ veritatis eſt remota, quæq; incredibilia complectitur*, ut Cicero in partitionibus oratoriis ſcribit: Num verò Hamelmannus tale quidpiam in toto Chronico recenſuit, quod omninò falſum, à forma veritatis remotum, impoſsibile ſit & incredibile? Quomodo id in æternum probabis, ad quod te tamen lex veritatis tenaciter aſtringit? Qua igitur facilitate, cum decuiſſet πρὸς ἐπιπωλήτῃν, tu honeſtum piumque hunc virum fabulas pro hiſtoriis vendidiſſe ſcribis, eâdem facilitate regeritur, te eſſe ψευδῶν πλέαν Ἀτζαφάξιμ. Tu, cum per otium à Decade quarta licet, inveſtiga ſenſum, & pro Corollario rumina illud Nevizani:

Linquo κοὰξ Ranis, cra corvis, vanaq; vanis.

Sed quis eſt tandem Emmo vel (ſi liben-

tius anagramma tuum audis) Mome, auctor tàm ineptus & deter, quo viſo vel lecto tantopere vomitio tibi cietur? *Hermannus*, inquis, *Hamelmannus, non ita nuper defunctus, cujus nomen cum dixi, omnia dixi.* Qui bonum hunc virum non norunt, ob feralem hujus bVbonis cantum attoniti, non injuria ſibi in animum inducent, introduci talem hominem, qui ſit bipedum nequiſsimus, alter Phrynondas, profligatæ damnatæ que famæ, & ſummatim, vibex ac macula ſuæ patriæ & totius Comitatus Oldenburgici. Sed æterno Deo ſit gratia, quod iſtud ſtigma tàm verè contra fas & æquum, ex mera malitia, innocentis hujus viri famæ inuritur, quàm verum eſt, te omni fronte & ore carere, dum talia exſpuis, κακοδαιμονᾷς ὤνθρωπε. Quippe Hamelmannus ipſe, innocentia ſua (quæ optima eſt Apologia) confiſus, hîc ad Principes, Comites, Barones, Civitates, imò omnes cives Sacri Romani Imperii quibuscunque vi-

xit, & apud quos, ad annum usq; ætatis ſeptuageſimum, nomen ſuum conſtanter tutatus eſt, lachrymabundus provocat, teſtimoniumq; veritatis ab ipſis exquiri ſupplicat, an unquam ita ſe geſſerit, ut mereatur ita publicé proclamari, nimirum, ut qui nomen ipſius dicat, omnia dicat. Vidésne verò illos omnes hîc in faciem tibi dicere, quoties tu, tanquam Tragicus Theocrines, nomini Hermanni Hamelmanni talem maculam aſpergis, toties (ſit venia dicto) te turpiter & putidè mentiri? Plura hîc dicere quid refert? Sapiens ille Romanus omnes, qui injurias iſtiusmodi patiuntur, interno tamen judice probi audiunt, prudenter conſolatur:

Cum facias rectè, ne cures verba malorum,
Non eſt arbitrii noſtri, quid quisq; loquatur.

Nec minus ſcitè Comicus:

Eſt atq; non eſt mihi in manu Megaronides,
Quin dicat, non eſt, meritò ut ne dicant,
id eſt.

Quod porrò incogitanter & oblivioſè

adjeciſti, Hamelmannum non ita nuper defunctum eſſe, næ quam turpiter te hoc ipſo dediſti in ruborem. Adeòne enim in veterum monumentis peregrinus fuiſti, ut hîc animum non ſubierit; De abſentibus & mortuis nil niſi bené loqui & precari licere? Extat ſane in hanc ſententiam præceptum ſapientum: DEFUNCTI INJURIA NE AFFICIUNTOR. Et aliud: DE MORTUO NON RISERIS. Laudatur & monitum Chilonis Lacedæmonii: Τὸν τετελευτηκότα μὴ κακολόγει, ἀλλὰ μακάριζε, h.e. *defunctum non maledictis afficias, ſed beatum prædices.* Putabant enim illi, nihil ingenuo viro indignius, quâm eos inceſſere lingua, qui reſpondere non poſſent, ſiquidem tam turpe hoc habetur, quàm cum larvis vel umbris luctari, indeq; natum quoq; proverbium, Νεκρὸν μαστίζεις, h. e. mortuum flagellas. Memorabile igitur eſt, quod Suidas de ſtatua Niconis Thaſii pugilis retulit.

Quum enim ejus jam defuncti ſtatuam æmulorum unus, odio indulgens, fuſtibus cæderet, tanquam Niconem ipſum vivum contumelia afficiens, ſtatua, manium ejus ultrix, in cædentem ipſa collapſa, oppreſsit eum & extinxit. Deniq; illud ipſum poſt Catonem Cenſorinum inſinuat Plinius *in præfa. ſuper 1. lib. natur. hiſtoriæ* Scio ego, inquit, *quæ ſcripta ſunt, ſi palam proferantur, multos fore, qui vitilitigent: ſed ii potiſſimum, qui veræ laudis expertes ſunt. Eorum ego orationes ſino præterfluere. Nec Plancus illepidè, quum diceretur Aſinius Pollio orationes in eum parare, quæ ab ipſo aut liberis poſt mortem Planci ederentur, ne reſpondere poſſet: Cum mortuis non niſi larvas luctari. Quo dicto ſic repercuſſit illos, ut apud eruditos nihil impudentius judicetur.* Hæc Plinius. Tu, Emmo, ipſemet ex illis collige, quid de te tuiſq; convitiis ſit ſentiendum.

Etſi enim in epiſtola tua excuſatoria (quæ eo nomine deinceps quoq; aliquo-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 104 [44,-10 8°]

ties deſignabitur) ad Illuſtrem & Generoſum heroëm, D. Guilielmum Ludovicum, Comitem Naſſovium, &c. die Decembris nullo (oblitus enim es ejus) Anni elapſi 99. ſcripſiſti; Chronicon Oldenburgicum, ſive Hamelmanni hiſtoricas operas, demum poſt mortem ipſius prodiiſſe, atque ideò auctorem hunc te prius reprehendere non potuiſſe, attamen calvum illud eſt effugium, nihil planè te excuſans, vel calumnias tuas molliens. Quid enim Hamelmanni honeſtum nomen, decrepita ætas, anteacta vita, præteriti mores, uſurpata totiesq; excuſata diæta, eruditiſsimis etiam viris inprimis Magno illi Melanchtoni, Peucero, Morlino, Heshuſio, Selneccero, & aliis probata eruditio, ac deniq; ipſi cum tot Electoribus, Principibus, Comitibus ac aliis Statibus Romani Imperii communis fidei confeſsio, cum ipſius prædictis Hiſtoricis laboribus commune habebant, in quæ omnia pariter tu talem

totq;

totq; injuriis refertam invectivam, nunc demum, & quidem toto quadriennio, poſt mortem ipſius ſcriberes, eamq; Decadi tuæ tertiæ præfigeres, & denuo repeteres?

Profectò ſi cæteri omnes, excepto te, tanquam Magnifico quodam Rectore, inſiperent, tum demum paria apud illos eſſe poſſent hæc; errores nimirum alicujus defuncti (& tamen ne ſic quidem aliter, re tota ad alium judicem jam devoluta, quâm ſecundum ſubjectam materiam, rejectisq; Parergis) modeſté indicare: ac remotis omnibus verecundiæ Chriſtianæq; manſuetudinis repagulis adeò in mortuum laſcivire & debachari. Nunc ſané, cum Dictatura tua extra pomœria civitatis Groninganæ ſe non extendat, in alia omnia abeunt, unoq; velut ore concludunt, nihil fuiſſe cauſſæ, cur, relicto argumento tibi propoſito, defunctum Hamelmannum (audis Vbbo?) Cur defunctum, dicimus, Hamelmannum in vita, moribus ac fidei con-

feſsione tàm inhumaniter attereres & conculcares.

Sed pergis in conſpuendo Hamelmanno, & ne quis in perſona ipſius aberret, addis δεικτικῶς & ſpecificé: *Eſt enim ſatis notus ex vita & ſcriptis prioribus.* Quandoquidem tu verecundiæ fines tranſiliens, homini, ut proximé dictum, pié defuncto & quieſcenti, vitam anteactam, emiſſaq; ſcripta ſalſé & injurioſé exprobras, neceſsitas cunctos æqui bonique amatores adigit, ut rurſus ejus patrocinium contra te ſuſcipiant, & feſcenninum illud virus per os & fauces in te retorqueant. Progredere igitur, ſi vir es, in lucem, & vel unicum tantum crimen demonſtra, quod ipſe tuis oculis coram in Hamelmanno conſpexeris & animadverteris, non autem ex ipſius infenſiſsimis hoſtibus, qui illo adhuc vivente ex ſe ipſis, ſicut araneus ex ſe telam, nævos comminiſcebantur, hauſeris & apprehenderis. Et quos tandem alios hîc pro-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 104 [44,-10 8°]

duces βιογράφȣς, quam Petrum illum Lugenburgum, D. Pezelium, Tres illos fictitios ſtudioſos, & reliquos iſtius gregis Satellites? quibus tamen jamdudum abundé atq; ita (fortaſsis etiam à me ipſo, niſi fallor) reſponſum eſt, ut meritó illos pudeat, quod unquam frontem perfricuerint, taliaq; divulgarint, quæ ad Calendas demum Græcas probabunt. Tu verò calumniarum illarum cur te participem facis? Docétne te Theologia tua, de quoquam defuncto ſive mortuo adeò contumelioſè judicare, antequam æquè tu ac ille in tremendo illo τῆς δικαιοκρισίας judicio conſtituti, rationem vitæ reddatis, & pro factis condigna præmia recipiatis? O homo mathæologe, qui proximo tuo ἐκ τῆς ἐπιχαιρεκακίας detrahis, eumq; ante tempus judicas & condemnas, de feſtuca eruenda ſollicitus, trabem autem in proprio oculo non cernens, quale rurſus ad tribunal Salvatoris noſtri exſpectabis judicium? Quid ſi ille jam

Quid

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 104 [44,-10 8°]

Quid ſtatuat de te, ſine te deliberet ipſe?

Audi etiam quid tibi tuæq; φιλαυτίᾳ & dicacitati occinat Tullius: *Omnis,* inquit, *animadverſio & caſtigatio contumelia vacare debet.* Quid itidem Gregorius Nazianzenus: *Hanc,* ait, *rationem tene, ut partim illum corrigas, idq; leniter & humanè, non ut hoſtis, neq; ut durus & rigidus Medicus, neq; ut ſectionibus tantum & cauteriis adverſus morbum ſciens graſſari; partim te ipſum accuſes, infirmitatisq; tuæ tibi conſcius ſis.*

Sed eſto, Hamelmannum dum adhuc in vivis ageret, non fuiſſe planè ἀναμάρτητον,

Nam vitiis nemo ſine naſcitur, optimus ille
Qui minimis urgetur. (*eſt,*

Quid tamen hoc ad tuam cognitionem & cenſuram, imò & ad tuam Andromacham? Qui potius effrenem tuum impetum cohibere debuiſſes illo Horatiano:

Mævius abſentē Nevium cum carperet. heus tu
Quidam ait, ignoras te? an ut ignotum dare nobis
Verba putas? egomet mî ignoſco Mævius inquit:
Stultus et improbus hic amor eſt, dignusq; notari

Sed pergamus etiam videre de Hamelmanni ſcriptis, quæ non minus, quàm vitam ipſius virulento tuo ore adflaſti & lancinaſti. Ea verò duorum generum, hoc eſt, partim Theologica, partim Hiſtorica eſſe, ipſemet forté audiviſti. De Theologicis porrò ipſius te minus rectè ſentire, quis miretur, qui ſciat, tibi & tuæ farinæ ventoſis hominibus nihil placere, quod aliis placet? Atq; ideò etiam in præſentiarum nihil aliud pro reſponſione exſpecta, quàm illud ipſum, quod pro defenſione ſuorum ſcriptorum ipſemet Hamelmannus vivens publicé in lucem emiſit. Quo enim bono tecum iſta per eandem lineam reciprocaretur ſerra?

Hiſtorica ſcripta ejusdem quod attinet, ſufficit, ea non ſolú Illuſtriſsimis Principibus ac Comitibus Sacri Romani Imperii, haud ingrata, ſed & graviſsimis eruditiſsimisq; viris, Ranzovio, Chytræo, Reineccio, Meibomio, Reusnero Henningio & aliis probata fuiſſe, quibus tu nequidẽ

digné matellam porrexeris. Et proinde etiam ipſe Hamelmannus, talium virorum exactiſsimo judicio fretus, tibi in pulvere ſcholaſtico occupato hîc affricare illud Flacci:

Complures alios doctos ego quos & amicos
Prudens prætereo, quibus hæc ſint qualiacunq;
Arridere velim, doliturus ſi placeant ſpe
Deterius noſtra: Demetri teq; Tigelli
Diſcipulorum inter jubeo plorare cathedras.

Imò & cum Guntheri Ligurino ſic te alloqui videtur:

Quemq; ſui meminiſſe decet, nos nominis alti
Nō ſumus, egregios vix ſuſcipit aula Poëtas.
Hoc tamen in cœtu non deerit forſitan unus,
Vel duo, vel plures, qui me Grethane legendū
Eſſe putent, lectoq; ſemel, rurſumq; relecto
Plus faveant.

Verum enimverò in utroq; genere ſcripti ſtylum fortaſsis minus accuratum & politum accuſas? Fruſtra. Neq; enim tam lingua picturata, titillatrix Rhetorica, & Aſiatica verboſitas, quàm ſimplex

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 104 [44,-10 8°]

veritatis oratio eſt curanda, nec poſſunt omnes tàm ſuaviter, ac tu, in illo latinitatis Parnaſſo ſomniare. Præclarè utiq; Plinius dicere ſolitus fuit: *Scito eum peſſimè dicere, qui laudabitur maximè.* Nonne & Euripides, cum ſeptuaginta quinque tragædias ſcripſerit, in ſolis tamen quinque tantummodò vicit?

Quia veró ea ipſa, quæ de VVigberto, Jadelæa, Mellumæa, & Altenburgica arcibus, Vlrico, Ottone, Joanne primo, Hunone, Friderico, Leone interfecto, Embdâ redemptâ, &c. conficta eſſe audacter, imò impudenter, aſſeveras, ante multos annos ſcripſit, & in peculiaribus libellis evulgavit Hamelmannus, cur non citius in arenam deſcendiſti, qui nunc tanto ſupercilio de ipſius ſcriptis pronuntias, ejusq; errores ad ſolem expoſuiſti? Hîc latum habebas campum, & potuiſſes forſan etiam gloriolam quandam apud Sciolos & ἀυθαδοξόμους aucupari. Errorem etiam ipſi vivo monſtraſ-

ſes? Non utique tanquam ἀϖλαυὴς arroganter vel tuam vel aliorum candidas emendationes reſpuiſſet unquam, ſed gratiis tibi illisq; habitis, certiſsimé culpam agnoviſſet, ſententiam mutaſſet, meliora docenti ceſsiſſet, & vel ipſe palàm priora correxiſſet. Et quid ni? Notum illi erat illud Sapientis: *Nemo eſt mortalium, quem non aliqua pars ignorantiæ attingat, hanc contagionem ex ipſa mortalitate traximus. Nam homo cum errat, humanitus errat. Errorem autem in homine calumniari, eſt toti ipſi mortalitati convicium facere.* Sed de his ſatis.

Subjungis aliud Encomium his verbis: *Haud dignus, cui ſua ſcribenda, id eſt, contaminanda, ac vitianda commiſerit inter clariſsimas Comitum Germaniæ familias.* Quid Hamelmannus de ſua tenuitate & imbecillitate in conſcribendo Chronico Oldenburgico, veritati nullam pompam addens, modeſté ipſemet ſenſerit, vel ſola ſatis ſuperq; declarat epiſtola Dedica-

toria ad Comites Oldenburgicos dire-ctà, ex qua etiam luce meridiana clarius apparet, quæ illum occaſio ad ſcribendum impulerit. Ea ipſa verò opera tantum abeſt, ut clariſsimam familiam Oldenburgicam commaculet & vitiet, ut etiam Generoſi & Illuſtres Comites Oldenburgici, ſe pro illa Hamelmanno plurimum debere, etiamnum libenter fateantur.

Tàm futile igitur eſt de Styli Hamelmannici aptitudine & dignitate, non conſiderato rerum tractatarum pondere, multum lallare, quàm ſtolidum eſt, ſi quis citharoedum optimum eſſe eum affirmet, qui quàm pulcherrima purpura ſit indutus, cæterum ad ipſius in fidibus, & in cantu numerorum ac modulationis rationem non advertat. Ut enim Nicoſtrato illi ab Hercule oriundo, ſicut alibi ait Politanus, maximo quidē athleta, ſed turpiſsima facie homini, nemo idcirco Mileſium illum Alcæum, luctatorem &

ipſum, in ſtadio præpoſuerit, quod eſſet adoleſcens formoſiſsimus, neq; enim de forma illic agitur, ſed de virtute: Ita nec hiſtoria, ſi qua ei extrinſecus ornamenta, velut equo phaleræ, adjungantur, nudæ huic, atq; ſobriæ ſuasq; tantum partes in ſimplici narratione exequenti, ante feretur. Nec ignoras, tete ipſum alibi ſcriptum reliquiſſe: *De Stylo te ſæpè minus fuiſſe ſollicitum. Qui ſi fortè non ſatis placeat nonnullis, hominibus nimirum delicatis, aut etiam in reprehenſionem incurrat, non te id magnopere moturum, ut qui famam haud inde aucuperis, nec facultatem ejus rei tibi adſcribas.*

Agnoſcis verba tua? Eandem quoq; mentem Hamelmanno, & hoc amplius etiam Arnobio lib. 2. antehac fuiſſe puta. *Cum de rebus*, inquit is, *agitur ab oſtentatione ſubmotis, quid dicatur, ſpectandum eſt, non quali cum amœnitate dicatur: nec quid aures commulceat, ſed quas adſerat audientibus utilitates: maximè cum ſciamus, etiam quosdam ſapientiæ deditos nos tantum abjeciſſe*

ſermonis cultum, verum etiam cum poſſent ornatius atq; uberius loqui, trivialem ſtudio humilitatem ſecutos, ne corrumperent ſcilicet gravitatis rigorem, & ſophiſtica ſe potius oſtentatione jactarent.

Et poſito, quod forté Hamelmanno quis elegantius res geſtas familiæ Oldenburgicæ deſcribere potuiſſet, id quod ille etiam non obſcuré in ſæpius nominata epiſtola dedicatoria eſt largitus, inde tamen non efficies, ipſius Chronicon nihil aliud eſſe, quàm contaminationem ſaltem ſive vitiationem (ut ita loquar) clariſsimæ antiquiſsimæq; familiæ Oldenburgicæ, non magis, quàm ſi cuiquã perſuadere coneris, bonum vinum ob id foras effundendum eſſe, quia aliud melius vel optimum alibi reperiatur. Quin potius, ut Plinius dictitabat: *Nullus eſt tàm malus liber, qui non aliqua ex parte proſit.* Nec ſunt hîc Heſperidum horti, quorum aurea poma pervigil aliquis Draco cuſtodiat. Omnibus patet introitus, nec

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 104 [44,-10 8°]

opus eſt præſtolari Herculem. Interim tamen Hamelmanno, ſalebroſam illam viam primitus aperienti, laus illa non eſt invidenda, quod ſit,

οὔτε κάκιστος, οὔτε πρῶτος, h. e.
Neq; peßimus, neq; primus.

Sed quid opus eſt multiloquio? Vel unius Reineri Reineccii, DEUS bone, quanti viri! judicium debitam dignitatem ſcriptioni Hamelmannicæ vendicat, cum is Hamelmanni lucubrationes de familia Oldenburgica, equidem antehac, non tamē tanta, quanta nunc, emiſſas cura, commendare non erubeſcat.

Nihil etiam honori Hamelmanni derogat, quod in epiſtola tua excuſatoria hæc verba annectis: *Verè quoq; affirmare poſſum, non pauca ad illuſtrandas celebrandasq; res Oldenburgicas pertinentia, mihi nota, in opere Hamelmannico ab auctore prorſus ſomnolenter præterita vel omiſſa eſſe*; Speramus enim nihil omiſſum quod ad rem propriè faciat. Si quid verò addendum

reſtat, addi id poterit quandocunque, nulla temporis præſcriptione obſtante, *ſiquidem*, ut inquit Antiquarius ille Romanus, *Nemo reprehenſus eſt, qui è ſegete ad ſpicilegium reliquit ſtipulam.* Et ſi in rebus Oldenburgicis adeò verſatus es, ut glorìaris, cur non potius, relictis tuis conviтiis & Sarcasmis, earundem latiorem elegantioremque tractationem mox in tuis decadibus, vel etiam in peculiari quodam ſcripto inſtituiſti, cum utique hoc labore magnam apud Illuſtrem Comitem Oldenburgicum gratiam inire, munusque non exiguum lucrari potuiſſes? Atque illud fortaſsis minoris periculi, imò ex re tua quoque fuiſſet magis, quàm per inanes ac malé detortas quasdam calumnias de lectoribus quibusvis, vel etiam de toto mundo (ut aliquoties ad conciliandam benevolentiam exclamas) bené mereri velle.

Sed heus Emmi, in aurem. Serióne loqueris, vel an palpum obtrudere ſa-

tagis, dum familiam Comitum Oldenburgicorum inter clariſsimas Germaniæ numeras? Nonnulli certé (quamvis reipſa verum dixeris) exiſtimant, ex ore jejuno & inſincero iſtam laudem proficiſci, maximé quia Mimus illis inſuſurrat:

Malus ubi bonum ſe ſimulat, tunc eſt peſſimus.

Imò quia principium familiæ Oldenburgicæ in VVigberto oppugnas, & pro virili (quanquam irrito conatu) omnia illa, quæ à ſexcentis ferè annis à majoribus per manus quaſi tradita, poſtmodum fideliter annotata, & nunc demum evulgata ſunt, irrides, vanitatis coarguis & peſſundare conaris, atq; hoc amplius capiti Illuſtris & Generoſi Herois, Comitis Gerardi Oldenburgici, *in tertia tua decade*, tales roſas inſpargis, quæ latronem, Prædonem, Sinonem, (hic enim, ut VVittenius tuus canit, fraude ſuetus fuit) & extremæ nequitiei hominem, non Generoſum Comitem decent, & de-

nique in modo dicta tertia tua decade Oldenburgicis in univerſum hanc notam impingis, quod vera falſis miſceant, invertendum cenſent prædictum tuum encomium, ut nimirum tu meritò indignus cenſearis, qui ita clariſsimam familiam laudatumq́ populum commaculares & vitiares, dignus verò ſis, quem familia iſta meritis virtutibus ornet & cohoneſtet. Rides fortaſsis iſta. Sed cave, nunc in te folia cadunt, fieri poteſt, ut brevi cadant arbores.

Audiamus porrò Epiphonema tuum, quod prædicta convitia ſubſequitur: *Ita enim*, inquis, *accidere ſolet, ut qui ſciens rem vanam pro vera prodit, etiam cætera ſua omnia, quamvis vera, ſuſpecta & contempta reddat.* Hamelmannum ἐκ προαιρέσεως, ſcienter, & conſilio, vanam quampiam rem pro vera, vel, ut Homerus loquitur,

Ψεύδεα πολλὰ ἐτύμοισιν ὅμοια, h. e.

Plurima figmenta ſimillima veris,

unquam prodidiſſe, tam vanum & puti-

dum eſt, ut nihil magis. Præterquam enim quod in hominem ſanæ mentis non cadit iſta impudentia, ut ſe ſciens volensꝗ aliis deridendum propinet, inſuper etiam Deo καρδιογνωστῆ perſpectum eſt, bonum hunc virum ne per ſomnium quidem cogitaſſe, ut nugas, falſa, vana, abſurda, & ficta (hæc tua, ò Mome, ſunt emblemata) cuiquam mortalium ſtudioſé & dolo malo obtruderet, vel de induſtria mentiretur, ſed quidquid ſcripſit, etiamſi, rem ipſam quod attinet, ſit minutiſsimum, illud omne mutuatus eſt ab aliis auctoribus (quorum ſyllabus ſive nomenclatio mox poſt procemium ſubjicitur) qui ipſi in hac paleſtra præiverunt. Imò ut non ſolum illis notum eſt, quibus cum hiſce de rebus contulit, verum etiam ipſa evidentia teſtatur, religio feré ipſi fuit, quidquam in medium proferre, niſi ſtatim adductis auctorum, quorum fide nititur, formalibus verbis, veluti ſtatuminibus quibusdam rigidio-

ribus, obfirmaret & ſuffulciret. Tuné verò iſta vituperas? Audi Comicum longé aliter ſentientem:

———in Andriam, inquit, ex Perinthia
Fatetur tranſtuliſſe, atq; uſum pro ſuis.
Id iſti vituperant factum, atq; in eo diſputant,
Contaminari non decere fabulas.
Faciunt næ intelligendo ut nihil intelligant.
Qui quum hunc accuſant, Nævium, Plautum, Ennium
Accuſant, quos hic noſter autores habet:
Quorum æmulari exoptat negligentiam
Potius, quam iſtorum obſcuram diligentiam.

Idem & alibi.

Habet bonorum exemplum, quo exemplo ſibi
Licere id facere, quod illi fecerunt, putat.

Et cur, mi homo, minorem tribueret Hamelmannus fidem indigenis ſcriptoribus, quorũ Chirographi libelli adhuc in Archivo Illuſtris Comitis Oldenburgici fideliter aſſervantur, nimirũ Annalibus

denburgicis ac Raſtedenſibus, Henrico VVoltero (qui ante annos 164. vixit & ſcripſit) Ioanni Schiffhovvero, viro, ut ante centum & plures annos, tempora iſta tulerunt, ſatis claro & docto, Romero Sedichio, Antonio Blomio, Laurentio Michaëlis, & nonnullis aliis, qui, ut quivis bonus paterfamilias, quid domi ſuæ, ita quid in regione ſua acciderit, penitiſsimé ſcire & obſervare potuerunt, quàm tu vel annalibus tuis (quos toties in ore geris, ut *decad. 1. pag. 95. 97. 119. 291. 350.* & alibi videre licet.) Vel Friſicis etiam quibusdam rapſodis, ſcilicet VVorperio, Emoni antiſtiti VVerumano, Grimershemio, Sicconi Benninga (ac huic etiam bonarum literarum prorſus ignaro) nec non reliquis, quorum nomen æque hactenus obſcurum & incognitum fuit? Nec vel tantillum officit, ſi tu fortaſsis illorum fidem eleves, vanamq́; eſſe exiſtimes. Tibine enim, qui ante paucos annos primum natus, vel an illis, qui quò

propiores illi ætati fuerunt, eò etiam conſtantius, & quidem in patria ſua, illa, quæ ex ipſis Hamelmannus fideliter exſcripſit, expiſcari & ſcribere potuerunt, iſta omnia erunt notiora? Largiamur etiam, veteres illos auctores in aliquibus non uſque quaque fidei litaſſe, ſed aliquando quædam majora vero tradidiſſe (quanquam illud adhuc κεινόμενον eſt, ut & ab hiſtorico nemo unquam juratores exegit) num ideò Hamelmannus ex ſuo cerebro quidquam vani ſcienter finixſſe, & in vulgus ſparſiſſe dici poteſt? Cur non eâdem erga ipſum uteris modeſtia, qua erga alios paſsim à te citatos auctores, quibus narrationum ſuarum fidem tuendam relinquis, fama illorum minimè læſa vel denigrata?

Sed ogganis, Hamelmannum nihilominus inter verum & falſum diſtinguere, atque illa quæ tu, tanquam vana & minus vera, excerpſiſti, potius refingere & corrigere, quàm imitari debuiſſe, juxta illud Catonis:

Quod

Quod noſti haud rectè factum, nolito ſilere,
Ne videare malos imitari velle tacendo.

Viciſſes proculdubio, Emmi, ſi præſup-poſitum tuum non claudicaret, quod tamen, proh dolor, adeò verum eſt, ut vel lippi videant, te hic ἐπὶ τὴν ἄρχην λαμβάνειν. Tu'ne enim falſitatem narrationum Hamelmannicarum ex arte veri oſtendiſti? Num ſatis fuit dicere, hoc vel illud verum non eſſe, non autem probare? Et cui tandem homini ſanæ mentis perſuadebis, quia tu forté ac conterranei tui, relationibus hiſtoricis Hamelmanni fidere recuſatis, ob id eas ſtatim absq; omni exceptione falſas eſſe? Egregia ſané alios convincendi ratio, non admodum diſsimilis illius Blateronis dicterio, qui argumenta, quæ ſolvi non poſſent, ſuperbè contemni debere, hortabatur. Utrumq; εἰς κόρακας meritò eſt ablegandum: præſertim cum tu in hac cauſa idem non poſsis eſſe pars, & judex, & teſtis.

Quid ſi etiam Hamelmannus corniculæ Æſopicæ memor, præ modeſtia

quidquam refringere noluerit? Quid ſi tot teſtibus & teſtimoniis contradicere, eaq́ quæ in hiſce terris tot annorum auctoritas & vetuſtas approbavit & recepit, in dubium vocare, abrogare, & vilipendere non licuerit? Quid ſi denique cum illo Philoſopho te alloquatur; *Hæc ita vera ſi quis quæſierit unde ſciam, ſi voluero, non reſpondebo, Quis coacturus eſt?* Tune coges? Si unquam legiſti Thaliam Herodoti, inveniſti proculdubio, quid auctor iſte in ſimili feré re ſentiat. *Ex his*, inquit, *quæ narrantur, hoc quod dixi propius fidem eſt: tamen quod minus credibile eſt, quandoquidem commemoratur, commemorare debeo.* Eodem etiam ſpectat illud Corn. Taciti lib. 13. *Nos conſenſum*, inquit, *auctorũ ſecuti, quæ diverſa prodiderint, ſub nominibus ipſorum trademus.* Imò quid ſcribis ipſe, deca. 1. pag. 358? *Quæ*, ais, *ſi ego, ut ab illis memoriæ prodita ſunt, non recitarem, verear præter fidem hiſtorici facere videri me poſſe.* Legis iſta & non erubeſcis? Profectó Martialis hîc tibi aurem vellicare videtur, dum ait:

Quod

Quod ſi non illum, ſed me peccaſſe putabis,
Tunc ego te credam cordis habere nihil.

Quàm libenter etiam, Audacule, aliis perſuaderes, quia, ut tu putas, nonnulla ab Hamelmanno, fidem tuam excedentia, commemorantur, ideó reliqua ipſius, quantumvis vera, ſuſpecta & contemnenda eſſe. Tu ſcilicet ex fimbria de toto texto judicas, h. e. ex uno puſillo omnium conjecturam facis, præterita item, antiqua, nova, & hominis memoriam non excedentia, apud tuum tribunal eandem fidem merentur. Quæ autem iſta eſt invidia, ob unum alterumve fortaſsis nævum aliquem, nondum legitimè demonſtratum, ac in parte hærentem, totum corpus abjicere? Num utile per inutile vitiatur, quoties utile ab inutili ſeparari poteſt? Num ideó Nilus damnandus, quod Crocodilum generet? Quin potius ut livorem alibi aut maculam in ebore aut marmore ſculpto toleramus, ſi cætera arti reſpondeant, ita & in

auctoribus vitiũ unum aliquod diſsimulandum erit, ſi cætera ejusmodi ſint, ut legentibus utilitatem aliquam non parvam afferre poſsint. Pluribus hîc non eſt opus verbis. Tu qui huic audaciæ in excuſatoria tua epiſtola fruſtra mederi conatus es, ac omnia illa, quæcunq; in Decadas tuas conjeciſti, folia Sybillæ, verioraq; iis, quæ apud Sagram acciderunt, eſſe exiſtimas, fortaſsis brevi aliorum quoque ſubibis cenſuram, qui te docebunt, non merum illis ineſſe lac gallinaceum: *Omnes*, inquit Varro, *Videmur nobis ſaperdæ, feſtivi, belli, cùm ſimus copreæ.* Et fortaſsis non inepté aliquando in te ità ludent:

Ex ſolido eſſe prius vulgus quem credidit auro,
Extrorſum auratus, plumbeus intus erit.

Progreditur jam in ſuo libello famoſo noſter Annaloſcribonides, & hæc verba ſubjicit: *Cui verò bonus nugator homini ſanæ mentis, & modicè rerum noſtratium perito perſuadebit, quæ primæ & ſecundæ parti operis ſui impreßit, cætera enim legere nondum potui.*

Sed quorſum, Vbbo, iſtæ virulenti calami tui punctiones? Quis te aliosve naſutulos imperioſé cogit, ut in Hamelmanni aliorumve ſententiam pedibus eatis? Tu ille es, qui cenſuram hîc nobis ſine ſuffragio gerat? Tu, qui provideat, ne res Friſica, quam tactá eſſe putas, damni quid ſentiat? Si verò adhuc conſcientiam habes, neceſſum eſt, ut ad malleum Sacræ Scripturæ adhorreſcat: *Qui dixerit fratri ſuo Racha, obnoxius erit concilio: quisquis autem dixerit fatue, obnoxius erit gehennæ incendio.* Quod ſi porró nugæ tantum ſunt, quæ Hamelmannus emiſit (ut tu tamen ex faſtuoſi tui pectoris ſcrinio ſolus ac nimis arroganter depromis & pronuntias) cur in illis tragædias agis, & pulmonem non aliter anhelatione levas?

Cæterum inter illas, ſi Diis placet, nugas, quas Vbbo Emmius Grethanus Hamelmanno odioſius affingit, primo loco ſtatuitur hoc, quod dicitur: *VVigbertum VVidekindi Saxonis filium, conditorem familiæ Oldenburgicæ, ducta in conjugem Prin-*

cipis Friſici filia, præter principatus alios in dotem totam ferè Friſiam accepiſſe, eoq́; jure fretos poſteros ejus Comites Oldenburgicos magnam Friſicarum regionum partem Vendicaſſe ſibi, atq; etiam poſſediſſe. Canis feſtinans, ut in proverbio dicitur, cœcos parit catulos. Id Cenſori huic etiam accidit. Si enim procemii, Chronico Oldenburgico præfixi, evulgationem expectaſſet Emmius; atq; illud aliquanto penitius introſpexiſſet, qui potuiſſet tam impudenter aſſerere, nugas meras eſſe, quod VVigbertus VVitikindi Saxonis filius familiæ Oldenburgicæ conditor prædicetur? Quia enim ibi, recenſitis aliquot opinionibus, tandem ex Alberti Cranzii, Polyhiſtoris illius Reineri Reineccii, Michaelis Beutheri, Petri Albini Nivemontii, Hieronymi Henningii, Eliæ Reusneri, clariſsimorum hiſtoricorum noſtri temporis, ſententia Hamelmannus aſſerit & ſtatuit, ex VVitikindæa familia, imò ex prædicto VVigberto Comites Ringelheimios & Oldenburgicos originem ſuam traxiſſe, cui traditioni hactenus

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 104 [44,-10 8°]

etiam nemo unquam contradixit, qui non impudens eſt Balatro Emmius, qui tales tantosq́ viros, una cum illo, omnes pro nugatoribus exclamat & ſugillat? O facinus, talium virorum capitibus nunc demum à Ludimagiſtro coronam detrahi, quam hactenus applaudentibus omnibus laudabiliter geſtarunt.

Sed videamus, ſodes, quomodo ille ipſe in deſcriptione originis familiæ Oldenburgicæ, quam ſecundæ Decadi præfixit, acu rem tetigerit. A Conradi enim 2. Imperatoris fratre Erneſto Suevo exorſus, mox ad ipſius filium Erneſtum (quem alii ſeditioſum appellant) atque ejus rurſus filiam Idam Suevicam deſcendens, hujus gratam Rixam vel Rikenſam matrimonio copulat Elimaro. 1. Comiti Oldenburgico, & ex hiſce duabus perſonis deinceps ſtemma Oldenburgicum texit. Qua igitur injuria te offendit clariſsimus ille heros Fridericus Comes Oldenburgicus, quem in 1. *tua*

decade pag. 253. ut propinquum & anteceſſorem Elimari I. introducis, ut illum ex Genealogia tua prorſus exterminares? Unde etiam Elimarus iſte primus, quem Comites Oldenburgici in ſua familia equidem agnoſcere non dedignantur? Eumne αὐτόχθανα, avem ſine ovo, vel an ἐπήλυδα eſſe & parentes habuiſſe cenſes? Cui deniq; in recenſitione majorũ ipſius plus fidei tribuemus, tibi'ne, qui hîc magis mutus quàm piſcis, vel an prænominatis clariſsimis hiſtoricis, imò & indigenis ſcriptoribus, qui verum exordium ut antiquiſsimæ hujus familiæ: ita & anteceſſorum Elimari primi altius repetierunt & oſtenderunt, quos omnes tu, homo nove, ſepelire & imis ceris eradere contendis? Et hæc tamen eſt illa Friſica ſapientia, quam qui adorare ſatagit, eum fœnum eſſe, quis impediat?

De conjuge Ducis VVigberti, ejusq; dote etiam litem moves. Nomen ejus quod attinet, variatur ſententiis, an Sin-

dacildæ vel Odradæ illi fuerit, cæterum in matrimonio VVigberti vixiſſe, ex Henningio *pag.* 2. *&* 263. & Reusnero *pag.* 261. (niſi & illi tibi ſunt nugatores) diſcere potes, quorum iſte, illam quoq; reginam Friſiæ appellat. De dote quis tecum pugnet? Tuné enim is, qui norit,

Iunonem quo pacto duxit Iuppiter olim?

Nec juvat, in tuis ſcriptoribus ea de re eſſe ſilentium. Sufficit namq; pro defenſione honoris Hamelmanni, eum vetuſti ævi tenebras perambulantem, hæc non aliter, ac ſcripſit, in annalibus patriis inveniſſe, ut ſuo tempore ad oculum demonſtrabitur. Tu ſi credere etiam illis nolueris, neceſſe eſt, ut tamdiu exſpectes, donec ab Avo Sindacildæ Radbodo (quem ipſemet *in* 1. *Decade pag.* 136. Plutonis hoſpitem eſſe innuis) veram quantitatem dotis diligenter expiſcari cures. Alii certé minus laborant de eo, ac de ranis paluſtribus vel veteribus tuis ocreis, maximé cum ibidem *pag.* 138. ipſemet aſ-

ſeve-

ſeveres, de ſucceſſoribus familiaq́ue Radbodi perobſcura ad Friſios perveniſſe, pené ut nulla fuiſſe videantur.

Poſt hæc ſudes in oculis tuis ſunt, filius VVigberti VValbertus, ejusq́ue conjunx Altburga, nec non Iadelea, Altburgica, & Mellumæa arces, item quæ de Reinero, Theodorico, Vlrico, Ottone, Oldenburgicis Ruſtringiæq́ue Comitibus, eorumq́ue factis ab Hamelmanno commemorantur. Sed fruſtra & hîc te torques & ringeris. VValbertum enim VVigberti filium, & hoc amplius maritũ Altburgæ Lesmonenſis fuiſſe, ex ejusq́ue nomine arcẽ Altburgicam ſive Aldenburgicam, parva nominis inflexione, cognominatam eſſe, poſt auctores patrioscum Henningio & Reusnero itidem in prooemio aſtruxit Hamelmannus. Tu illis nec viſis nec lectis, quid tumultuaris, & illum nugarum reum agis? Quaſi verò ἀπὸ Ναννάκου & inauditum ſit, etiam magnos Reges & Principes, ut de ſe, ita & de conjugibus ſuis, civitatibus ac arcibus

nomina indidiſſe. Hiſtoriæ leguntor per otium, Vbbo, & diſces.

Iadelæam & Mellumæam arces (fortaſsis Eſonſtadium, Cammingaburgum & Britſemburgum, a te commemorata fortalitia, eſſe exiſtimans) ariete quoque tuo petis, ſed invanum. Eas enim ante ſexcentos & plures annos in deſignatis locis veriſsimé ſtetiſſe, ſed fluctibus irati maris abſorptas, non ſolum patrii & exteri ſcriptores unanimiter atteſtantur, ſed earundem quoqꝫ exiſtentia (quam equidem popularis tuus David Fabricius Eſenſis, Paſtor Reſterhavenſis, neutiquam ignoravit, ut tabulæ ipſius Geographicæ oſtendunt) adeò notoria eſt in hiſce locis, ut vel ruſtici, te, talia tàm audacter negantem, vanitatis ac impudentiæ redarguentes, Sincipiti tuo cucurbitas adhibendas eſſe cenſeant. Quid? quod intra ſeculum etiam rudera iſtarum arcium in aqua Salacia ſive receſſu maris adhuc conſpici & calcari potuiſſe, com-

plures teſtantur, qui ab avis & parentibus ſuis talia fido relatu recenſeri aud verunt. Tu verò, cum pueros Leræ & Nordæ inſtitueres, non legiſti in Catone:

Judicium populi tu ne contempſeris unus,
Ne nulli placeas, dum vis contemnere multos?

Malè quoq; te habet, quod Ulricus & Otto ſe ſcripſerunt Comites Oldenburgi, Iadeleæ, Ruſtringiæ, Ammerlandiæ & Brocmeriæ. Nunc verò Hamelmannus hos titulos, nullo præeunte, primus excogitavit, & non potius ex ſæpius nominatis indigenis ſcriptoribus κατὰ πόδας exſcripſit, qua in re etiam ὁμοσπόνδους habet Henningium & Reusnerum, quos te vidiſſe vel legiſſe, quis credat? Nonne etiam tempore Imperatorum Friderici & Philippi anno ſalutis 1180. jam tum nomen Comitum Ruſtriæ & Ambriæ notum fuiſſe, duobus adductis diplomatibus in prœmio comprobavit Hamelmannus? Nonne antiquus ſcriptor Helmodus, ante annos plures quam qua-

dringentos, meminit Comitum Oldenburgi, Ammerlandiæ, & de terra Freſonum? Nonne Henricus VVolterus eosdem, ante annos centum ſexaginta quatuor, paſsim vocat Comites Ruſtringiæ, dictos de Oldenborch Ammirorum? Hos verò titulos jure ſucceſsionis hereditario in illos derivatos, & proinde ab ipſis uſurpatos eſſe, tantum abeſt, ut propter tuam infitiationem vel incredulitatem falſum vel fictum ſit, ut etiam maleſanam tuam temeritatem vel potius fatuitatem prodas, eo ipſo, quod in hos aliis omnibus fidem prorſus derogas, te verò, tanquam alterum quendam Janum, æquè poſtica ac anteriora cernentem ſuperciliosé ſubſtituis & proclamas, qui ſolus noverit,

Quæ ſint, quæ fuerunt, quæ mox ventura ſequantur.

Brocmeriam quod attinet, ſcimus equidem, ea hodierno ſeculo cui pareat. Tu verò hîc nobis indubitanter aſtrues, quis ante quingentos & plures annos ei do-

minatus fuerit? Ariolaberis quidem, ſed quis eo moveatur? Non enim Kenones & Foccones tui tantam ætatem attingunt, & proinde minimé abſurdum eſt credere, ut Comitem Oldenburgicum Gerardum (irrefragabiliter id Caroli Burgundi diplomate illæſo convincente) ita & vetuſtos illos Comites Oldenburgicos in Brocmeriam vicinam jus aliquod ſibi vindicaſſe, cum & nonnullas alias ditiones proximé adjacentes tunc poſſederint, quæ tamen deinceps lapſu temporis priores dominos mutârunt, & nunc aliorum imperia agnoſcunt. Quantum namq; in hiſce rebus edax tempus tot annorum, addicendo nimirum ex privato in publicum, & ex publico in privatum, quanta itidem in longis ſeculis viciſsitudo eſſe poſsit pellentium & repellentium invicem nationum & populorum, clarius eſt, quàm ut longiore explicatione indigeat. Circumſpicienti enim in hiſtoria quatuor Monarchiarum, de fatalibus mutationibus

imperiorum & dominiorum ſylva Exemplorum occurrit. Nec minus ſcité, quàm veré Poëta Venuſinus:

Debemur morti nos, noſtraq́; ſive receptus
Terra Neptunus, claſſeis Aquilonibus arcet
Regis opus, ſterilisve diu palus, aptaq́ remis
Vicinas urbeis alit, & grave ſentit aratrum:
Seu curſum mutavit iniquũ frugibus amnis
Doctus inter melius, Mortalia facta peribunt.

Et proinde nonnulli, cum te ad cachinnos tam propenſum videant, & ipſi vix eos tenere potuerunt, profundé ridentes puerilem tuam ſollicitudinẽ, dum adeò anxié in epiſtola tua excuſatoria (injuriarum cumulatoria dici debuiſſet) trepidas & metuis, ne ob id, quod Hamelmannus ſcriptum reliquit, quasdam Friſiæ Orientalis partes ante quingentos & plures annos quondam ſub ditione Comitum Oldenburgicorum fuiſſe, bella & ſimultates inter Comites vicinos etiamnum ingruant. Sed eſto bono animo,

Vbbo, & iſtum metum vanum eſſe certò ſcito, cum iſthæc jam dudum ſint ſopita. Alioquin enim & Fredeburgicæ arcis reſtaret repetitio, quam olim, & quidem ante centum ſexaginta quinque annos cum Markeſio, Etzelio & aliis pagis Comiti Theodorico Oldenburgico non jure ſequeſtri (ut tu decados 3. pag. 49. putidè fingis) ſed jure dominii adhuc ſubfuiſſe, literæ ſigillatæ, nullo defectu laborantes, atteſtantur. Veni ſaltem, authenticas oſtendemus,

Exſtructionem Cœnobii Iadelæi & dotationem fani Repsholtani, quod eâdem audacia infitieris, nemo eſt qui curet. Cum enim, ut ante dictum, patrii ſcriptores hîc tibi in faciem contradicant, tuque ſanè non ſis is, qui ſolus germanum canumque verum eruere queat, frivolum eſſet tecum de hiſce & ſimilibus rebus, quas magni illi ſinus maris, Dullartus, Flevus, Iadanus, jam abſcondunt, ubi prius oppida, pagi, villæ, cul-

tiſsimaq́ prata (ut ipſemet ſcribis) fue-
runt, digladiari. Si enim Academiam jam
diu mortuam excitare, & omnia contro-
verſa facere, imò omne ævum ſuo metiri
licet, nihil utiq; certitudinis in rebus an-
tiquis & vetuſtis retinebimus, quod non
ſciolus aliquis Argus perluſtret, & petu-
lanti ſplene cachinno irrideat. Exemplo
nobis ſit magnus ille Ariſtoteles. Etſi
enim Homerus, Dictys, Dares, Herodo-
tus, Thucydides, Livius, Virgilius, Meſ-
ſala, Halicarnaſſæus, uno quaſi ore affir-
mant, Trojam fuiſſe, eamq́ à Græcis ca-
ptam eſſe, is tamen ſolus negat, vetuſta-
tisq́; hæc commenta potius quam veri-
tatis monumenta putat. Quis autem
huic uni fidem habeat, cæteris omnibus
deroget, niſi cum ratione inſanire malit?
Eâdem plané ratione ridendi etiam ſunt
Sarcaſmi tui, quibus exſtructionem ag-
gerum Jadarorum, Aquæductus Slicca-
ni, & arcis Grothuſæ excepiſti. Præter-
quam enim quod hîc rurſus à partibus

Hamelmanni ſtat teſtimonium patriorum ſcriptorum, cui nuda & nullis argumentis veſtita infitiatio tua ne hilum quidem derogat, inſuper etiam communis vox & fama, adhuc apud Butjadarum poſteros ſuperſtes, confirmat, talem aquæductum iſtic locorum extitiſſe, ſed fluctibus marinis peſſum iviſſe, (utcunq; valvæ fuerint æreæ, ut volunt, vel ferreæ, ſive ligneæ) quos utiq; omnes non efficies cœcos & ſurdos, ſiquidem non omninò temerè eſt quod vulgò dictitant, unde & Ciceroni fama vulgi eſt quoddam multitudinis teſtimonium, non magis, quàm ſi neges, clauſtrum ſive Aquæductum quoque Bullenium, non ita procul à confluvio Iadæ & Viſurgis olim ſitum, in rerum natura fuiſſe, ob id, quod ibi Bremenſium naves, proh dolor, ſæpenumerò jam Scyllam & Charybdim experiri ſolent. Quinimò eâdẽ facilitate, qua Grothuſã hîc deſtruere conaris, etiã

infitiari poteris, Bokeleburgicam, Dringeburgicam & Konevordam arces unquam Comitum Oldenburgicorum fuiſſe, cum jam in oculos non incurrant. Sed quis horum locorum, mi homo, tecum faciet, & non potius te explodet & exſibilabit, qui ſaltem veſtigia illarum arcium conſpexerit & calcârit, quorum utiq; non exiguus adhuc ſupereſt numerus? Certé ut Lucanus canit,

— — —jam tota teguntur
Pergama dumetis, etiam periêre ruinæ;

num verò ideò Ilium nunquam extitiſſe affirmabimus?

De Sibethò porrò Papinga tecum non eſt quod quis controvertat. Virum utique nobilem fuiſſe argumento eſt, quod Dynaſtæ Jeverani & ipſi ex Papingarum familia originem traxerunt, in quos etſi paſsim nimis iniquus es, ac, quotieſcunq; potes, ſcommata jacis, (pro quo officio tibi propediem exhibebitur remuneratio) non tamen in 2. *tua decade*

pag. 111. Edonem VVimmekium Ruſtrum (abavum Dominæ Mariæ Jeveranæ)nobili quidem ac veteri, ſed pertenui familia ortum, Sibethum patrem(cujus nomen procul dubio deinceps retulit Sibethus Papinga, Hajonis Harleſii frater germanus) VVimconem avum, Edonem proavum, VVimconem alterum abavum recenſere potuiſſe, & prout uſus poſcebat, arma quoq; pro patria ſæpe tuliſſe contra hoſtes, negare auſus fuiſti. Hi igitur & iſte Sibethus tamdiu pro conſanguineis meritò ſunt reputandi ; quamdiu tu contrarium non monſtraveris. Quod ſi tum, Vbbo, tibi noctua volaverit, meliori jure te titillare & riſu rictum diducere poteris, nunc ſané, cum neminem adhuc in puteo conſtrictum teneas, occinitur tibi illud ſapientis Romani: NEMINEM IRRISERIS. Item ejuſdem:

Alterius dictum aut factum ne carpſeris unquã,
Exemplo ſimili ne te derideat alter.

Fortaſsis etiam notus tibi eſt Senarius ille proverbialis:

Γελᾷ δὲ ὁ μωρὸς, κἄν τι μὴ γελοῖον ᾖ.

Hoc eſt:

Ridet fatuus, ut nulla riſus cauſa ſit.

Exſpectabamus jam finem cavillationum, ſed ecce & Comitis Ottonis filius Ioannes examen tuum ſubire cogitur, verum fortuna nihilominus propitia. Nam quod tu tanquam nugatorié ab Hamelmanno ſcriptum allatras, en quo calculo hiſtorici duo præclariſsimi, Henningius nimirum & Reusnerus, illud ſignent: *Joannes*, inquiunt, *Comes Oldenburgicus Henrico 2. Imperatori contra Saracenos & Græcos in Italia Anno Chriſti 1007. & decennio poſt contra Polonos militavit. Tenuit arces Mellum circa mare & Iadele ad Iadam fluvium à majoribus ædificatas, ex quibus Friſios ad Groningam usq; domuit.* Quis veſtrûm majorem hîc fidem merebitur? Illi'ne qui poſsibilia & veriſimilia affirmant, quibusq; ut patriæ monumenta, ita & communis hominum vox & fama

aſtipulantur, an verò tu, qui ſimpliciter, prout in buccam venit, quæcunq; non ſunt ad tuam ſalivam, aut in tuis commentariis non inveniuntur, tanquam ex Jovis diphthera petita, protinus reſpuis, negas, & mendacii arguis? Mi Grethane, non ſuccedet tibi in hiſce nundinis, alium mercatum quæras oportet.

Sed ne quis tibi jure objicere poſſet & illum verſiculum proverbialem:

Νήπιος ὃς πατέρα κτείνας, ὑοὺς ὑπολείπει.

Hoc eſt:

Eſt fatuus qui patre perempto pignora linquit.

Idcirco etiam prædicti Comitis Ioannis filium, glorioſum illum Hunonem introducis, cæterum pro virili laborans, ut hic quoq; ex albo Comitum Oldenburgicorum extirpetur. Verba tua ita ſonant: *A filio porrò Ioannis Hunone, Mellumæâ arce vi fluctuum everſâ, incitante Alberto Archiepiſcopo Bremenſi, Friſios defeciſſe: illum animo contra periculū firmato repente Caſtella ſua per Friſiam præſidiis muniviſſe & avertendæ*

defectioni ulteriori nobilitatem ſuam omnem convocaſſe in arcem Iadelæam, & quid animi haberent, quid fidei, exploraſſe. Etſi hoc loco ſub verborum involucris animum tuum occulis, digitis tamen & aure callemus, te in effectu non concedere, præfatum Comitem Hunonem unquam extitiſſe, alioquin enim ipſi in conſeſſu Comitum Oldenburgicorum, in Genealogia tua depictorum, ſellam non invidiſſes. Sed præterquam quod ex iis, quæ in Chronico adduxit Hamelmannus, nec non ex annalibus Raſtedenſibus, Diplomatibus Romanorum Pontificum, Calixti, de anno 1124. Adriani, de anno 1158. & Clementis, de anno 1190. (quæ, cum opus fuerit, adhuc exhiberi poſſunt) impudens tua infitiatio liquidò refellitur, prædictumq; Hunonem una cum conjuge Gvvilla & filio Friderico monaſterii Raſtedenſis fundatorem fuiſſe irrefragabiliter convincitur, inſuper quoq; hodierno etiamnum tempore (ne de

com-

communi hominum voce & fama quidquam dicamus) eorum ſepulchra ibi cernere & pedibus calcare licet, qua probatione ſi tibi non ſatis fit, quî ſano eſſe cerebro, & non potius plus ſetarum in mento, quam ſenſus in mente habere, dici potes?

De Alberti porrò Archiepiſcopi Bremenſis, tanquam corvi hiantis, inexplebili ambitione, avaritia & odio in vicinos Comites & populos, quæ retulit ex aliis Hamelmannus, vel ideò fidem merentur, quod tute ipſemet *in 1. tua decade pag.* 232. 233. 234. 235. eadem feré narras & aſtruis, imò *pag.* 233. implicité Crantzii opinionem admittis, qui Comitatum Friſiæ ab Imperatore Henrico Archiepiſcopo Alberto donatum, Comitatum Oldenburgicum fuiſſe ſcriptum reliquit. Etſi igitur in nonnullis circumſtantiis à vobis diſsidet Hamelmannus, interim tamen hoc manet, eum quoad ipſam narrationis ſubſtantiam, non plané

meras hîc vendere nugas & fabulas, quin potius ut alia omnia, ita & hæc ex annalibus & id genus aliis documentis, quæ vel Crantzio vel tibi nunquam ſunt viſa, verbotenus quodammodo mutuatum eſſe.

Friſios quoq; ab Hunone ad Archiepiſcopi Alberti inſtinctum defeciſſe, huicq; defectioni Hunonem modis omnibus obviam iviſſe, annalibus patriis id evidentiſsimé atteſtantibus, &, poſt lectionem Lamberti Schaffnaburgenſis, Adami Bremenſis, Alberti Abbatis Stadenſis, & Alberti Crantzii, ambitioſi hujus Archiepiſcopi complexione, moribus, dictis ac factis probé conſideratis, cur non erit veriſimile? An quia tui annales hîc muſſant? Egregium ſané argumentum, perinde ac ſi Oldenburgicorũ quiſpiam narrationes tuas, de rebus quibusdam Friſicis, non admittat, ſed nugas eſſe pronuntiet, ob id quod de illis in monumentis Oldenburgicis nihil teſta-

tum inveniatur. Illi utique didicerunt, ſi utraq; & ſuppetant & congruant, domeſticis teſtimoniis externa conjungenda, ſi alterutra deficiant, iis utendum quæ ſuppetunt; ſi diſcrepent, externis domeſtica præferenda, niſi notabilis abſurditas hanc prærogativam excludat. Rectè namque Plinius admonet: *Ab unaquaq; gente exquirendam eſſe veritatem earum rerum, quarum notitia apud eam popularis eſt.* Tu cum nondum oſtenderis, prædictis quidquam falſi vel abſurdi ineſſe, fruſtra operam in iis evertendis conſumſiſti, perinde ac ſi laborioſé inveſtigaſſes, utrum Carmenta mater Evandri plures habuerit dentes superné, an inferné.

Cæterum perfaceté admodum exultas & tripudias, quod Hamelmannus certos quoſdam nobiles, qui Iadeleæ Comiti Hunoni præſtò fuerint, juramentoque fidelitatis ſe ei obſtrinxerint, nomi-

natim recenſuit, quos tu tamen aut nunquam vixiſſe, aut poſt aliquot demum ſecula natos eſſe exiſtimas, & totam iſtam narrationem his verbis excipis: *Quis cachinnos hic teneat?* Mi Vbbo, tenebunt omnes boni, qui τὴν χλευασίαν oderunt, quiq; legerunt ſenarium illum:

Γέλως ἄκαιρος ἐν βροτοῖς δεινὸν κακόν.

Hoc eſt:

Non in loco ridere pergrave eſt malum.

Cur autem tu non tenueris, non attinet longius rationem inquirere, cum res ipſa clamet, te amarulentia & faſtu intus diſcrutiatum (oratio ſiquidem minimé mendax eſt animi ſpeculum) roſtrum comprimere nequiviſſe, ſed bonũ hunc virum ἀφ᾽ ὄψεως & deſpectim aliis quoq; deridendum propinare voluiſſe. Quantò verò modeſtius fuiſſet, in hiſtoriarum hoc campo ſine alicujus dolore & irriſione ludere, nec ſtylo vice teli uti? Ut enim turpe eſt viro gravi muliebri more

ejulari, ſi quid doleat: ita impotentis animi indicium eſt, gaudio immoderato in cachinnum effundi. Quanquam hîc tibi cautione opus eſt, ne, tanquam metus ἀχρειόγελως, aliquando pro præmio reportes illud vulgatum:

Deridens alios, non inderiſus abivit.

Neq; enim Illuſtres & Generoſi Comites Oldenburgici tàm patienter ferent, qui ſe in ipſorum commiſit fidem & tutelam, ut eum iniqué iniquus irrideas, quin potius admonebunt te ſuo tempore hujus præcepti:

Difficile, at tutum eſt, flammantes claudere ſannas,
Ne fodiat jugulum lingua proterva ſuum.
Cum ridere voles & ſalſis ludere dictis,
Qui poſſit cedens os dare, quære parem.
Qui ludens crudum tentat tondere Leonem,
Exitium capiti conſuit ipſe ſuo.

Nec eſt, quod in tui patrocinium huc voces illud Flacci:

— — —ridentem dicere verum
Quid vetat?

Etſi enim veritas per ſe laudanda & commendanda, imò & hiſtoriæ oculus eſt, modò absq; convitiis & obtrectationibus dicatur, nemo tamen, priusquam melius probaveris, te verum dixiſſe fatebitur, utcunq; etiam in cerebro tuo nihil addubites, nusquam hæreas, nihil neſcias, ſed pro auctoritate ſaltem cenſeas, damnes, pronunties. Fortaſsis aliquando, ut eſt apud Martialem:

—Cum fateri Furia juſſerit verum,
Prodente clames conſcientia, SCRIPSI.

Nam quod (aliis tamen nuncupatim hîc ipſi præeuntibus) enumeratos ab Hamelmanno nobiles partim nunquam vixiſſe, partim poſt aliquot demum ſecula natos eſſe, autumas, non probare hoc eſt, ſed tanquam κϱινόμενον & probandum pro vero aſſumere. Quis enim in individuo hoc tibi ἀποκάλυφε? Præterea

fac, Hamelmanno hac in parte duces itineris obrepſiſſe, ſiquidem facilis ejusmodi in re & vetuſta & ignota, quæque ad præcipuum ſcopum ſcribentis non pertinet (ut alibi ipſemet es faſſus) eſt hallucinatio, quid tum poſtea? Num res eſt, bello quoque vindicanda? Num ideò in ſuffragium eundum de Hamelmanni fide & auctoritate? Quin potius ut ille ait:

Si id peccatum eſt, peccatum imprudentiâ eſt.

Et meminiſti adhuc fortaſsis, quid ipſemet primæ tuæ Decados *pag.* 250. ſcriptum reliqueris, nimirum, anno Chriſti 1099. nobiles nonnullos Friſicæ gentis, ut Tiepconem Fortemannum, Iarichum Ludigmannú, Eponem Hartmannum, Igonem Galâmæum, Feiconem Botniam, Eilconem Sicconemque Liaucumas, & Vbbonem Harmanam accepta pro more cruce, ſigna Petri Eremitæ in bello ſacro ſecutos, & ad hos porrò, Balduino

jam rerum potiente, Hommonem Hommingam, Godefridum Roordam, Sixtum Cammingam, Ziallingam Ockingam gentiles, notosq́ homines profectos eſſe. Quid ſi autem Oldenburgicorum aliquis, lege tua uſus, & hoſce homines, ut & alios mirabiles in decadibus tuis introductos Harckos & Tiarckos unquam Solem, vel Nicæam, vel Cæſaream, vel Antiochiam, vel Hieroſolymam, vel quamvis aliam urbem aſpexiſſe neget? Commentarióne tuo rerum Friſiæ occidentalis ἀνωνύμῳ, cui inniteris, illi indubitatam fidem facies? Tu videris. Ille procul dubio difficulter tibi aſſentietur, niſi & eandē fidem commentarios quoque ſuos ſortiri permittas, cum quod juris in ipſum ſtatuis, id tibi in te ipſo diſplicere haud debeat.

Et quò minus ab hoc propoſito ſe dimoveri patiatur, in cauſa eſt, primum fœda ἀνιςορησία tua (ignoſce, quod veritas panditur) qua ibidem pag. 248. aſſeris:

Anni

Annitente maximè Vrbano Tertio Pontifice, nec non multam quoq; operam navante, habendis ad populum concionibus, præfato Petro quondam Eremita Ambianenſi, admirabilem fervorem Principum Chriſtianorum animos invaſiſſe, Hieroſolymæ univerſæq; terræ Sanctæ à Turcis recuperandæ.

Ut enim BELLUM SACRUM Anno Chriſti 1094. ut *Platina & Balæus*, vel 1095. ceu alii malunt, in concilio Claremontano ab Vrbano Secundo, non veró Vrbano Tertio, decretum eſt, *prout iidem Platina, ac Balæus, & juxta illos Robertus Monachus, Fucherius Carnotenſis, Guilelmus Tyrius, Speculum Vincentii Belvacenſis, Auctor Chronici Hieroſolymitani, Abrahamus Bucholzerus, & multi alii ex profeſſo commemorant*; Ut etiam Vrbanus Secundus, patria Hetruſcus, Oddo vel Odoardus antea dictus, primum Cardinalis Hoſtienſis, poſtea temporibus Imperatoris Henrici Quarti Pontifex Romanus ordine CLXVI: Ita Vrbanus

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 104 [44,-10 8°]

Tertius, patria Mediolanenſis, ſceptra ſacri Romani Imperii tenente Friderico Barbaroſſa, Pontifex Romanus ordine CLXXIX, *ut Platina*, vel CLXXX, *ut Crantzius*, extitit; Ut deniq; ille anno Chriſti 1099. ita hic, *auctore Balæo*, anno Chriſti 1187. atq; adeò integro ferè ſeculo poſt, vitam cum morte commutavit. I nunc igitur Vbbo, & apud genere, doctrina, virtute, honore ampliſsimum & clariſsimum VVitteniumtuum, ſeſquipedalibus verbis prædica, in Decadum tuarum venis nihil aliud, quàm purum putum aurum, inveniri, aliorum verò operas, cum tuis comparatas, meras ſaltem eſſe ſcorias & quisquilias.

Quod ſi ille ab hoc lapſu te erexerit, roga eum, ut pariter gloſſemate aliquo excuſet, quod *libro* 8. *pag.* 311. incogitanter ſcriptum reliquiſti, eundem Pontificem Vrbanum Tertium Anno Chriſti 1217. (hoc eſt, anno trigeſimo poſt mortem ſuam) Friſios tuos non ſolum Cor-

netanis, ſed etiam vicinis civitatibus diligenter adhuc commendaſſe. O lepidum chronographum. Fortaſsis autem hæc excuſare voles, per ea, quæ annotaſti *decados* 1. *lib.* 4. *pag.* 173. Sed fruſtra, non enim typographi, ſed tuam eſſe aberrationem, non ſaltem in numeris, ſed in ipſo nomine, plusquam manifeſtum eſt, quum Vrbanum Tertium Innocentio Tertio, cujus initio libri octavi meminiſti, ſubſtitueris, neq; id unico verbo in erratis Typographicis monueris.

Sed & aliud in eodem loco pag. 249. occurrit μνημονικὸν ἁμάρτημα, dum ſcribis: *Terreſtrem exercitum quadripartitum in ſacram expeditionem iviſſe, & primi agminis Petrum Eremitam ducem fuiſſe, &c.*

Visn' verum audire Emmi? Non is, ſed VValterus Sanzavehor Gallus, quem Paulus Æmilius Veronenſis *lib.* 4. *fol.* 137. Egerium appellat, Anno Dominicæ incarnationis 1095. Indictione quarta 8. die menſis Martii, primam expeditionem cum magna ſocietate Francige-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 104 [44,-10 8°]

narum, ad quatuordecem millia aſcendente, ſuſcepit, quem Petrus demum Eremita cum Francigenis Suevis, Bajoariis, Lotharingis ſecutus eſt, ut Chronicon Hieroſolymitanum lib. 1. cap. 7. 8. & 16. fuſiſsimè deſcribit. De Friſiis tuis ibi, ſicut & apud Paulum Æmilium, ante obſeſſam Antiochiam, verbum nullum, niſi quod Chronici *lib.* 3. *cap.* 14. *&* 59. Item, *lib.* 5. *cap.* 24. *& lib.* 6 *cap.* 55. narratur, VVinemarum quendam Archipiratam de terra Buloniæ (Tyrius lib. 3. cap. 23. Guinemercum vocat) & ſocios ipſius è Flandria, Antverpia, Tyla, Friſia, poſtquam octo annis antea piraticam, quod tu alibi genus belli honoratum appellas, exercuiſſent, & non procul à Tarſo navium multitudine applicuiſſent, anno demum Chriſti 1097. Caſtris Balduini ſe conjunxiſſe, & deniq; Anno Chriſti 1111. VVilhelmum, Starcolfum, & Bernardum cum tribus navibus à Flandria & Antverpia Berithum navi-

gaſſe. Num inter illos forſan fuerint etiam prænominati tui nobiles & gentiles homines, Delio natatori inveſtigandum relinquitur. Et iſtud quidem obiter, ac amicé, prout tu Oldenburgicos docuiſti. Reliqua quæ brevitas hujus ſcripti non capit, propediem peculiariter quoque videbis, ne dubita.

Archiepiſcopi porro Alberti excommunicationem, & ſubſecutam ipſius expeditionem, non in omnem (hoc enim, ſi ita ſentis, addis de tuo) ſed eam ſaltem Friſiam, quæ Comitatui Oldenburgico & Ammerlandiæ, proximé adjacet, & quæ præterea ad eum finem ab Hamelmanno recitantur, quod conſequenter ſuggillas, id populus curat ſcilicet. Nam præterquam quod ex Abbate Stadenſi conſtat, hunc Archiepiſcopum Albertum magis militem, quàm clericum; & ut paucis multa complecti liceat, Pontifici Romano Julio Secundo ſimilimum fuiſſe, inſuper etiam idem hîc tibi repo-

nitur, quod anté, nimirum, Hamelmannum hæc & alia non ex digitis, quod ajunt, ſuxiſſe, ſed ex patriis annalibus, aliisque auctoribus tanquam αὐθέντας & viam monſtrantibus bona probaq; intentione transtuliſſe, quibus ob nudam tuam tantum infitiationem fidem abrogari non poſſe, ſuperius eſt oſtenſum. Cui utique & hoc accedit, quod nemo unquam illi ſuccenſuit, qui tantum ſimplex relator & narrator facti fuit, ut alibi tradiderunt Jurisperiti, quorum & illud eſt axioma: *Propter noſtrum affirmare vel negare, nihil in re mutari.* Si non admittis, appellamus: ad tuum enim Friſiorumve tuorum ſubſellium dijudicatio iſta non pertinet.

Mirantur verò quidam hoc ipſo in loco non immeritò ἀβλεψίαν tuam, quodque duobus oculis tam parum videris. Ubi enim Hamelmannus Hajonem Dynaſtam Friſiæ (quem Hieron. Henningius & Reusnerus Reginborni Comitis

Ringelhemii, ex familia VVitikindea oriundi, pronepotem fuiſſe aſſerunt) Comitis Hunonis generum unquam appellavit? Nonne diſertis verbis eum ſororis ipſius Rixæ maritum, & ſic affinem fuiſſe ſcripſit? Et quanquam verum eſt, Juſtinum lib. 18. inuſitata quadam licentia generum pro ſororis marito ponere, ſcribens Pigmalionem ſororis ſuæ Didûs maritum Sichæum, avunculum eundemq́ generum ſuum, clam ferro incautum ſuperaſſe, vix tamen aliquis crediderit, te, cum convitia tua cuderes, ad iſtum locum reſpexiſſe. Sed leve hoc eſt, ideoq́ ultrò condonandum.

Ad Comitis Hunonis filium Fridericum jam ventum eſt, in cujus quidem perſona non fit tibi veriſimile: *Henricum IIII. Imperatorem poſt certamen Friderici filii Hunonis cum Leone, Hunoni & filio ejus Friderico conceßiſſe, ut Friſicarum regionum tantum recuperarent, quantum poſſent, atque hoc jure fretos ſucceſſores eorum, per annos 400. frequentia bella in Friſios*

geſsiſſe, & litem cum iis habuiſſe perpetuam. Sed ut pauca verba hoc quoque te liberent æſtu, non utique ſine perfrictione frontis infitias ire poteris, Fridericum Comitem Oldenburgicum in vivis fuiſſe, niſi forſan illis, quæ Decados tuæ primæ pag. 253. ſcripſiſti, ἀντιφατικῶς contradicere mavis. Atqui illum ipſum glorioſi Comitis Hunonis filium, cæterum ἄγαμον καὶ ἄπαιδα, & Elimari primi antecesſorem fuiſſe, ſcribit & aſſeverat Hamelmannus; Id quod in hodiernum usque diem Annales quoque, item illæſa Diplomata, priſcæ & per manus quaſi traditæ vulgi cantiones & Rythmi (quibus quid majores noſtri & præſertim Carolus Magnus, tribuerint, jam non eſt dicendi locus) imò ipſius etiam tumba ſive ſepulchrum, non in civitate Platonis, vel Idearum regione, ſed in monaſterio Raſtedenſi ante ſummam aram ſitum confirmant, quibus omnibus ad fidem Hamelmanno, Henningio, & Reusnero haben-

dam, ſi non permoveris, quis hominum tecum ulterius jurgetur,& non potius,ut antea quoq; tibi inculcatum, Anticyras mittendum cenſeat?

Iidem annales, & vetuſtiſsima communisq; hominum vox & fama, certamen quoq; Friderici cum Leone confirmant, neq; hactenus ullus extitit, qui illud in dubium revocaverit, etiamſi ante quindecim & plures annos eandem hiſtoriam, nec impoſsibilem, nec inauditam rem continentem, in ſcriptis evulgavit Hamelmannus. Tu'ne vero ejus es auctoritatis, qui ſolus eam invertas & evertas?

Ut enim hîc verbum nullum de Monomachia tempore Henrici IIII. Imperatoris adhuc uſurpata (ut exempla Comitis Ditmari cum Satellite,& Ottonis Ducis Bavariæ cum Egimone, evincunt) multo minus de uſitata apud veteres damnatione ad beſtias, num hominum memoriæ excidit, quid Coloniæ

conſulibus iſtis duobus in occidendo truculentiſsimo Leone, cui objecti erant, acciderit? Num obliterata eſt hiſtoria VViprechti ſenioris Comitis Groiczenſis, qui cum Leone ſibi immiſſo juſſu Imperatoris, volentis audaciam ejus experiri, fortiter pugnans incolumis evaſit, deteſtatusq́ ejus crudelitatem, & abitum parans, tandem multis muneribus placatur, & Burggraviatu Leiſnicenſi donatur? Num mentitur Chronicon Hieroſolymitanum, *lib. 3. cap. 4. & lib. 8. cap. vlt.* commemorans, Ducem Godefridum Bulionæum cum urſo immaniſsimo & horrendi corporis congreſſum, VVickerum verò Germanum *Leonem magnum & horribilem, viros & armenta ſæpius juxta montana devorantem, in regione Ioppe, cum clypeo aggreſſum eſſe, imò facili pede & ſaltu, facie ad faciem* (verba hæc ſunt formalia) *ſibi occurrentem ejusdem gladii acutiſsimi ictu percuſiſſe, ac fortiter cerebro ejus in partes diviſo, crudele & intrepidum animal in campeſtri-*

bus mortuum reliquiſſe. Quid ni igitur idem facere quoq; potuit Comes Fridericus, cum eum feciſſe annales tàm conſtanter affirment?

Cur etiam id minus erit veriſimile, quàm Hajonem tuum Fivelingium cum flagello ſuo ferreo in oppugnatione Damiatæ tot Saracenos, effuſo cerebro confractisq; membris, letho dediſſe, ut qui narrationem de eo tuam *lib* 8. *pag* 319. & 320. legit, de Hercule vel Simſone quodam te loqui exiſtimet? Quanquam bené ibidem & providé monitum, nullos alios tam miſerabili mortis genere à prædicto Hajone eliſos, quàm quos flagello ſuo contingere poterat. Nam ſané periculum erat, ne alius cenſeret, ſcripta quoque iſta de illis, quos contingere non poterat. Sed iſta mittimus: Tu ſaltem ô Vbbo, etiam atque etiam tecum cogita, τὸν λέοντα ξυρεῖν, cui profuerit, & ſi ſapis, in poſterum

———noli
Barbam vellere mortuo Leoni.

Fridericum porrò Comitem ab Imperatore Henrico impetraſſe, ut Friſicarum regionum (intellige earum, quæ ab ipſius parente deſciverant) tantum recuperare liceret, quantum poſſet, malé etiam in auribus tuis tinnit. Sed homini incredulo & refractario quid facias? Simia, vt ajunt, non capitur laqueo, ideoq; ſtultus eſſet labor, pro fide Oldenburgicorum annalium talia commemorantium, calculum quoq; tuum anxié præſtolari & expetere. Verum enimveró hunc ipſum Comitem Fridericum una cú propinquo ſuo Elimaro nihilominus Friſiis vicinis, qui inter Viſurgim & Amaſum longiſsimo tractu Oldenburgici agri tergum claudebant, infenſum fuiſſe, atque eam ob cauſam quoq; anno 1106. Duce Henrico Craſſo, Northemio Comite, Principe inter Saxones potentiſsimo, in eosdem moviſſe, cum ipſemet in 1. *tua Decade pag.* 253. aſſeveres, quî non conſtabit Oldenburgicis annalibus ſua fides,

qui eandem expeditionem commemorant, & nominatim, pro recuperando amiſſo jure, Comitem Fridericum præfato Duci Henrico aditum in Friſiam aperuiſſe, ac auxiliares copias adduxiſſe, addunt? Quod tu Friſicæ libertatis ultra modum avidus & prolixus præco, ut antea diſsimulaſti: ita nunc (quanquam fruſtra) aperté negas.

Reliqui etiam Comites Oldenburgici, Friderici ac Elimari, majorum ſuorum veſtigia ſubſequentes, quas pro recuperatione ſubtractæ dominationis aluerint lites, quæ itidem bella geſſerint, cum Stedingis, Stadtlandis, Butjadis, Ruſtris, Oſtringis, Lenganis (in quibus ipſemet *decad.1.pag.* 46. illud largiris) Auricanis, Brocmeriis, notius eſt, quam ut longiore enumeratione indigeat. Evolvat benevolus lector ſaltem ipſum Oldenburgicum Chronicon, & deprehendet, Vbbonem Emmium Grethanum, cui jam pridem omnes conterraneos, Io

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 104 [44,-10 8°]

Vbbo, lætis vocibus acclamaſſe percrebuit, de ſuo curru detrahi ac triumphari, qui triumphare cupiebat. Et cur adeò mirum & inſolens, imó, ut tu vis, injurioſum eſſet, Comites Oldenburgicos, ut vicinos, ſibi jus in conterminos Friſios, olim, quondam, antiquitus, (arrige aures Hiſtoriographe, & diſtingue tempora) olim, dicimus & antiquiſsimo tempore aſſeruiſſe, cum & Comites Hojenſes ac Brochuſiani, utpote ab Oldenburgicis oriundi, per totam Friſiam ſibi jus vindicarint, tâm in ſpiritualibus, quàm ſecularibus, idq; conſanguineis ſuis Oldenburgicis Comitibus pro centum marcis argenti ceſſerint, ſicuti Comitũ Gerhardi & Ioannis de Hoja literæ ſigillatæ, & appenſo ſigillo Bremenſis Archiepiſcopi Burchardi communitæ de anno 1340. atteſtantur?

Sed nondum finis. Iterum enim obturbas & reprehendis: *Emdam quondam Comitatus Vechtani fuiſſe oppidum, & ab eo*

jure ab Edſardo demum Comite, pecunia datâ Epiſcopo Monaſterienſi Ottoni Hojenſi eſſe ſolutam. Reſponderi poteſt tribus verbis, neminem tecum hac de re acrius contendere velle, cum ad Chronici Oldenburgici fidem parum vel nihil faciat, ſed incidenter tantum & extra propoſitum ejus fiat mentio. Nemo tamen dubitat, ſi Hamelmannus adhuc in vivis eſſet, quin aſſertionis ſuæ rationem reddere poſſet, quæ etiam nunc demum non prodiit, ſed jam ante ſeptennium auſpiciis & ſumptibus D. Henrici Ranzovii lucem vidit, nimirum in libello de familiis emortuis part. 1. pag. 76. Ubi his verbis Hamelmannus eſt uſus: *Dicitur ad Vechtenſem Comitatum quoq; pertinuiſſe aliqua pars Emeslandiæ, ut Niehaus præfectura cum Oppido Haſelundo & Aſchendorff, & ipſam urbem Emedam, modo in Orientali Friſia ſitam, huic ſubfuiſſe ajunt. Et quanquam illam primus*

Orientalis Friſiæ Comes Vldericus initis certis cum Hamburgenſibus conditionibus ad ſe transferret, tamen ejus filius Edſardus primus coactus eſt hujus civitatis nomine tranſigere cum Otthone, Hojenſe Comite, Epiſcopo Monaſterienſi, (quem bellatorem vocarunt) ac urbem eam nomine Comitatus Vechtenſis, quaſi ei ſubeſſet, repetenti ſummam pecuniæ numerare. Quis hactenus iſta ſuggillavit?

Deniq; limis oculis legis: *Joannem, Oldenburgicum Comitem, Chriſtiani III. filium, templum Auricanum anno* 1270. *ex fundamentis erexiſſe, idq; argumento eſſe totam eam oram etiam tum in ditione Comitum Oldenburgicorum fuiſſe.* Sed an templum Auricanum præſens, unum & idem ſit cum illo, quod ante 329. annos à Comite Joanne Oldenburgico Auricæ ædificatum eſſe ex Schiffhowero & aliis annotavit Hamelmannus, vel an alium habuerit fundatorem, aut deniq; ab aliis ſit amplificatum & exornatum, neque Oldenburgici, poſt elapſos tot annos, jam

certo ſciunt, neque tu vel verbulo aſſerere auſus fuiſti, quod tamen ut Hamelmanno, quanquam ſubdubitanti, & non de tota ora Auricana (ut tu amplias) ſed de ſola Aurica, quæ ante trecentos annos quid aliud fuit, quàm pagus? loquenti, os obturares, omninò tibi incubuiſſe, quis non videt? Nam & hodie nonnulla alia monaſteria & templa in aliorum poteſtate exiſtunt, quæ tamen Comites Oldenburgenſes fundaſſe, erexiſſe, & dotaſſe, tàm verum eſt, quàm verum eſt bis quinq; eſſe decem. Parcendum eſt pretioſo tempori & papyro, alioquin hîc pro dignitate excipi poſſes, utpote, qui de rebus ædificiisq; vetuſtis tanto ſupercilio & tàm audacter pronuntias, ac ſi coràm, velut alter Iohannes de temporibus, cum caſca hæc vel ſimilia extruerentur, aſtitiſſes.

Ne vero calci præfationis tuæ unciam ullam modeſtiæ aſperſiſſe videri poſſes, idcircò prædictas calumnias, quaſi per

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 104 [44,-10 8°]

quandam ἀνακεφαλαίωσιν, uno velut faſce complecteris & recolligis, his verbis: *Quæ pleraq; non ſolum vera non ſunt, ſed etiam multa vanitate implicita, atq; abſurda, ad aulæ gratiam inſulſè à paraſitis conficta.*

Sed quomodo, vane cenſor, hanc temerariam & cholericam tuam ἀνασκευὴν probaſti? Num ſatis fuit oracula quædam pronuntiare, aliis conjectandi materiam miniſtrando, ſed interim tamen ne vel tantillum probare, cur rejectis Hamelmanni hiſtoricis relationibus, tanquam Siculis quibusdam gerris, ita ſit ſentiendum, ut tu vis, vel potius calumniaris? Oſtendere & demonſtrare debuiſſes ſolidis argumentis, quidquam rerum vetuſtarum in Chronico Oldenburgico recitari, quod ſit vel incredibile vel impoſsibile (his enim duobus præcipué veritas rei geſtæ æſtimatur) & intellexiſſes proculdubio ex ſubſecuta bonorum virorum κατασκευῇ, aut defendi tale poſſe, aut illos (cum de articulo ali-

quo fidei non ſit negotium) firmioribus rationibus cedere didiciſſe. Cicero namque in 2. *Tuſcul. quæſt.* illis (vix tibi) lectus, qui ita ait: *Nos ipſos refelli redarguiq́ patiamur. Quod ii ferunt animo iniquo, qui certis quibusdam deſtinatisq́ ſententiis quaſi addicti & conſecrati ſunt, eâq́ neceſſitate conſtricti, ut etiam ea, quæ probare non ſoleant, ea cogantur conſtantiæ cauſa defendere. Nos qui ſequimur probabilia, nec ultra, quàm id, quod veriſimile occurrerit, progredi poſſumus, & refellere ſine pertinacia, & refelli ſine iracundia parati ſumus.*

Et ſi, Vbbo, pleraq; ſaltem in Chronico Oldenburgico non vera, vana, abſurda, & conficta, imó uno verbo,

Si mala ſunt, cur tu non meliora facis?

ut alibi ait Martialis. Cur non contentus plerisq;, iisq; excerptis, & calumnioſe traductis quibusdam, ſi Diis placet, erratis, lectori totius operis & narrationis faſtidium in univerſum parere ſatagis,

dum

dum inquis: *Quæ ideò notata hîc à me ſunt, ut ex his quid fidei auctori huic in reliqua narratione, quam ſine teſte alio fide digno in medium producit, debeatur, lector tibi cogitandum ſuggererem?*

Candoris nimirum ingenui hoc eſt judicium, quod eum ſine teſte alio fide digno narrationes ſuas in medium producere adfirmas, qui in veſtibulo Chronici plures quam ſexaginta auctores citavit, & in conſpectum dedit, quibus ſingulis feré paginis ſua ſtabilit & confirmat. Et largiamur hîc rurſus (citra tamen præjudicium) Hamelmannum in aliquibus, non data opera, ſed humanitus exerraſſe & dormitaſſe, quis enim Argus iſte, qui in rebus præſertim vetuſtis nusquam impingat, nusquam hallucinetur, num ideó omnia ſtatim erunt ſuſpecta, falſa, vana, abſurda, ficta? Planiſsimé. Quantò rectius Iſidorus: *Nec hiſtoricos, nec commentarios varia dicentes, imperitè condemnare debemus, quia antiquitas ipſa creavit errorem.*

Verum in his, cum præceſſerit etiam alia ſimilis monitio, jam pauſandum, atque illud ſaltem non immeritó quærendum reſtat, quos tandem Paraſitos notes, qui ad aulæ gratiam quidquam iſtorum, quæ tu momordiſti, inſulſé confinxerint. Mortuos ſané, quaſi manum habuerint vænalem, ſicut olim Balaam linguam, ſi flagellas, tenes jam anté, qua corona ſis dignus: Et recté Auguſtinus: *Etſi ad tempus damnaris ab homine, aliud eſt ſella terrena, aliud tribunal cœleſte, ab inferiore accipis ſententiam, à ſuperiore coronam.* Vivos veró ſi pungis, cur non aperté & nominatim eos, tanquam venenatos ac pretio conductos Gnathones, Palpones & mendaces, ſiſtis, & exploras, an valdé à tali Antagoniſta ſibi metuere velint? En campum & Entellos, Dareta in occurſum progredientem quilibet avidé exſpectat.

At extra jocum Vbbo. Dum tàm audacter, quanquam tacité, alios τῆς κολακίας

inſimulas, multi ſuſpicionem iſtam ex animo excutere vix poſſunt, quin tu meliori jure nomen Patacionis, quàm alii paraſiti, merearis, ſiquidem illis valdé veriſimile ſit, quod prædicta convitia tua ex alio ſint profecta tripode, quodque motus aliorum

Δωροισίντ' ἀγανοῖσιν, ἐπεσσι τὲ μειλιχίοισι,

Hoc eſt:

Et donis permagnificis, & lenibus dictis,

tam injurioſé, in mortuum minimeq́; lædentem, deſtomachatus ſis. Hem, percutiunt te? Et fortaſsis inter illos ſunt, qui, juxta Ariſtophanem, anguillas captare ſatagunt, & multis in locis frigidam ſuffundunt, à tuis convitiis & Pandeleтia ſententia initium fieri poſſe exiſtimantes: Quos tamen ad Erymnum reſpicere tutius eſſet, ne eadem reportent aliquando præmia, quæ te, ratione tuæ τῆς κακολογίας, manent. Recté enim Euripides:

Ἀχαλίνων στομάτων τὸ τέλος δυστυχία.

Hoc eſt:

Infrenis oris finis eſt calamitas.

Et ne fortaſsis exiſtimes, ut omnia tibi ſunt vana, prædictam quoque ſuſpicionem omnino vanam eſſe, operæ pretium viſum fuit, verba epiſtolæ tuæ excuſatoriæ, ſed latinè verſa, hîc inſerere. Si non propriè & ἐνεργητικῶς, dabimus quandocunque ipſa, ut ſonant. Ais itaque: *Præterquam quod apud me jam ante conſtitueram, inſuper etiam diverſæ, & quidem non exigui ſtatus perſonæ in patria mea, quæ de iſtiusmodi Hamelmanni figmentis aliquid cognoverant, diligentiſsime, fideliterq́ue me admonuerunt & rogarunt, ne obliviſcerer eorum, quæ ratione incepti operis, ad defenſionem veritatis, prædictæ patriæ deberem.* Cæterum adhuc Ænigma narras. Audiamus igitur Oedipum, & quidem, Vbbo, te ipſum, qui, quamvis Illuſtris & Generoſus Comes Oldenburgicus in literis ad iti-

dem Illuſtrem & Generoſum Comitem VVilhelmum Ludovicum Naſſovium datis, neminem nominaverit vel deſignaverit, tamen ipſemet, ut ſorex, indicio tuo te prodere videris. Sic enim ad quendam ſcribis: *Oldenburgicus Comes ante non multas hebdomadas ob notatam in hiſtoria vanitatē Hamelmanni ſui, tendentem ad injuriam patriæ noſtræ, ſcriptis ad Gubernatorem noſtrum literis, atrociter mihi eſt minatus, & actionem denuntiavit injuriarum graviſsimam, petiitq; interea ſilentium mihi imperari, donec ſibi à me ſatisfactum, ac ſimul oſtendit, parum dubitare ſe, quin impulſoribus illis, qui nunc rerum in patria noſtra primas tenent,* καὶ μάλιστα αὐτοῦ τοῦ δυνάστου αἰτήσαντος, *ea me ſcripſiſſe. Hæc veri aſſerti fortuna, ac rectæ voluntatis præmium perpetuum.* *Ego optima conſcientiâ me conſolor, atq; erigor. Reſpondi Oldenburgico, & modeſtè, & ut res habet, ſcapham ſcapham appellans. Eventum* D E O *committo. Raptim poſtrid. Calend. Januarii anni naſcentis* 1600. *Groningæ.*

Tuus Vb. Emm.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 104 [44,-10 8°]

Quos impulſores hîc notes, Vbbo, non aperimus, ſed propter nonnullos adjicimus, Græca tua verba hoc ſaltem velle; *Quod maximè Dynaſta vel Barone petente*, Hamelmanni, ut putas, vanitatem forcipe quadam apprehenderis, & pupugeris. Quâ autem modeſtia Generoſo Comiti Oldenburgico reſponderis & ſatisfeceris, vel inde liquet, quod eadem fere convitia in Hamelmannum ipſiusque Chronicon Oldenburgicum iterato conjeceris, quibus antea ipſius famam & ſcripta commaculaſti. Sed una forſan ſolutione tolletur hæc obligatio. Interim conſolare & erige te. Et quidni? Animus bonus in re mala dimidium eſt mali.

Quis ſcit an adjiciant hodiernæ craſtina vitæ
Tempora Dii ſuperi?

Concludis nunc tandem totum λοιδορίας tuæ actum hoc egregio Epilogo: *Mihi quidem usq; ad Conradum familiæ Oldenburgicæ primum evolvere tantummodo librum*

hunc licuit, cum præfationem à me Typographus poſceret. Habes, quæ de utroq; monitum te volui lector. Vive & vale. Poſtridie Calend. Martii Anno 1599.

Atqui, Vbbo, priusquam dimittaris & valeas, hoc viciſsim habe, permultos officio boni viri te haud functum eſſe exiſtimare, ob id, quod ut canis è Nilo, pauca tantum hæc deguſtaſti, quodque ſaltuatim & vagâ quadam curâ indicatum iviſti laceras quasdam (ut tu opinaris) ulcerum partes, non etiam ſanatum. Præcipitia enim, ut apud omnes in comperto eſt, præjudicia, rationem quamvis ſolertiſsimorum mancipant & ligant, ut omittatur quam incivile & vanum ſit, de re vix lecta, ne dum probé conſiderata & perpenſa, judicium ſibi ſumere. Multo ſané laudabilius pictorum eſt inſtitutum, qui per intervalla tabulas ſubinde pervident, ut partus amore quodantenus refrigerato, perinde ac ſpectatores

propoſitione acri vel minutiſsima diſpiciant, in quibus perpeti aſsiduitate hebeſcit plerumq; generantis acies.

Præterea nihil cauſæ fuit, cur tantopere cum præfatione tua properares, CUM OMNIBUS ADHUC PATEAT VERITAS, NONDUM SIT OCCUPATA. Et ſané, ut præclari nominis vir aliquando jocabatur, qui in magno gaudio aliquid faciunt, plerumque nihil faciunt, quod valeat.

Atque ideò etiam inter juris Pontificii Doctores receptum eſſe perhibent; *Quod ſignaturæ, quas facit Papa, antequam exeat de conclavi, audito quod electus eſt, ſint nullæ, propter nimiam lætitiam.*

Niſi forte tu metuiſti, ut ne pectus tot convitiis diſtentum differtumque interim tibi diſsiliret, quemadmodum narrant, Jovis cerebrum adeò

gravidum fuiſſe, cum ille Palladem parturiret, ut Vulcani ſecurim implorare neceſſum habuerit.

Exhilaras tamen Oldenburgicos non nihil, cum omnia, usque ad Conradum primũ, ſubtilis ingenii tui ala pervolâris, quod præter illa prætenſa ἁμαρτήματα, quæ irriſiſti, tu, qui acum inveniſſes, ſi acum quæſiviſſes, quique aliud nihil quæſiviſti, niſi quod calumniareris, nihil tamen aliud inveneris, quod calumniareris, & in reprehenſionem traheres. Eo ipſo enim prodidiſti, reliqua omnia morſus tuos effugiſſe, quod certé aliâs invité faſſus fuiſſes. Quod ſi porrò cum aliis nonnullis, & quidem vino madentibus Thraſonibus, de Hamelmanno & Chronico ipſius Oldenburgico ulterius commaculando & vitiando (ſicut in Velabro olearii) conſpirans, etiamnum maledicentiæ tuæ auctarium adjicere, quàm Chriſtianum moderatumque cenſorem agere malueris, age, prodi in me-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 104 [44,-10 8°]

dium, ſenties Macheræ tuæ objectam Vrbinam, & fortaſsis

— — — fragili quærens illidere dentem,
Illides ſolido.

Ante omnia verò, ne catum (dicebat ille) qui dormit, excites, melius tecum rumina illud Euripideum:

Σώφρων καθ' ἡμᾶς, σώφρον ἀντιλήψεται,
Θυμούμενος δὲ τεύξεται θυμουμένων.

Hoc eſt:

Modeſtus in nos, ſentiet modeſtum item,
Commotus autem nos reperiet concitos.

Imò & illud Arnobii lib. 4. *Majeſtatis apud vos ſunt rei, qui de veſtris ſecus obmurmurârint aliquid Regibus. Magiſtratum in ordinem redigere, Senatorem autem convitio proſequi, ſuis eſſe decreviſtis periculoſiſsimum pœnis. Carmen malum conſcribere, quo fama alterius coinquinetur & vita, decem viralibus ſcitis evadere noluiſtis impunè.*

Ad Apologiam porrò hanc quod attinet, ſpes eſt eam omnibus bonis proba-

tam iri, cum purgationem ſolummodò, non ultionem propoſitam habeat, & modeſté avertere plagam, non inferre velit. Et cum quemlibet idoneum è populo alterius hominis, præſertim mortui & abſentis, famam & exiſtimationem decenter defendere, divini atq; humani juris ratio dictet & permittat, non eſt ambiguum, defuncti hæredibus, & jure ſanguinis vel affinitatis ipſi proximé conjunctis, quorum fama, illius exiſtimatione læſa, vix ſalva & integra eſſe poteſt, illud maximé convenire, imò quodammodo neceſſarium eſſe, niſi velint ingrati & privatione hæreditatis paternæ digni judicari. Sicut ergò in armata militia illis bellum juſtum, quibus neceſſarium, & pia arma, quibus nulla niſi in armis relinquitur ſpes: Sic etiam in hac togata militia, ob defenſionis neceſsitatem mihi impoſitam, & pietatem qua parentis loco colendo ſocero obſtrictus ſum, pia

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 104 [44,-10 8°]

me ac juſta arma induere, & jure retorſionis uti, fas & æquum eſt, ideoq; nemo vir bonus hoc in vitio ponet, & ab officio alienum arbitrabitur. Echo namq; ſi nihil dicas, tacere; Sin provoces, reſpondere ſolet. Interim tamen veluti ſcopulus aſsilientes undas ſine motu, ut ille ait, ullo frangit: Sic ego quoq; convitiatorem hunc, ſine acerbitate ulla aut ira.

Accedit prædictis veritas narrationum Hamelmannicarum hiſtorica, mihi magna ex parte cognita, quàm per latus ſoceri mei peti & infeſtari, ut & Illuſtris & Generoſi Domini, D. Johannis Comitis in Oldenburg & Delmenhorſt, τῦ δυνάςȣ in Jeveren & Kniphauſen, &c. Domini mei clementiſsimi, in tota Germania celebre & clarum nomen, ab hoc Ribaldo in conſequentiam commacu-

lari & traduci, ingenui candoris, debitæ reverentiæ & ſubjectionis memor, & in primis cum à Generoſa ipſius Celſitud. hæ reſpondendi vices mihi clementer delatæ ſint, quî patientibus oculis videam & feram?

Et quanquam me non fugit, parum profici hujusmodi cum adverſariis colluctationibus per ſcripta publica, multosq́ʒ, nec indoctos, nec malos, eſſe, qui omnia ſcripta Polemica, ſtatim ubi Rubricam inſpexerint, tanquam fœnum in cornu habentia, prorſus averſentur: præſertim cum jure ac legibus inventa & conſtituta ſint remedia, quibus ſua cuique fama & exiſtimatio integra illæſaq́ʒ conſervari poſsit: Tamen cum hic diffamator extra limites Imperatoriæ jurisdictionis domicilium habeat, iisq́ʒ in locis verſetur, ubi juxta temporum & aliarum circumſtantiarum qualitatem illum in jus trahendi, & ordinaria via

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 104 [44,-10 8°]

juris contra illum experiundi, mihi heredibusq́; Hamelmanni (nam Generoſo Comiti Oldenburgico , ut & aliis magnatibus, longas manus eſſe, atq́; ob id ad Bunam Athenienſem eum deferre controverſiam nolle exiſtimo) facultas omnis propemodum ſit impedita: agendum mihi utique fuit cum ipſo eo modo, quo res & tempus permiſerunt, ea ſpe, ut quod ille ſibi offenſivé licere putavit, mihi defenſivé non denegatum videri debeat,

Atque ideo tu Vbbo Emmi Grethane, laſcive provocator, ſi quid alibi in te (nam in quenquam alium revera ſtrigilim hanc dirigi annexâ debitâ proteſtatione pernegatur) luſum vel jactum eſt, ignoſce, ac æquo fer animo, non convicia, ſed joca ac dicta quædam in te retorta, prolixius quidem, ac initio animus ferebat, ſed Seneca id excuſante, dicenteq́; : *Longiore ſemper morâ opus eſſe*

ut contraria diſſolvas, quàm ut objicias. Quod ſi DEUS meliorem mentem tibi dederit, longum etiam Groningæ ſalve.

IN
MALEDICUM ET VIRULENTIS-SIMUM HISTORIARUM-

cenſorem Vbbonem Emmium, non ſo
lum Hermanni Hamelmanni parentis
pié defuncti ſcripta & pios maneis ſugil-
lantem, ſed & Illuſtrium Comitum Ol-
denburgicorum genealogiam & res ge-
ſtas ab aliis approbata hiſtoricis leonino
dente adlatrantem, ſuisq; ominoſis &
feralibus gemitibus perpe-
ram obſcurantem.

JOANNIS HAMELMANNI
Oldenburgenſis, Filii.

ODA,
Tricolos Tetraſtrophos.

LEthale roſtro BVBO *ſonat, rei*
Ac ominoſæ eſt horridior tuba,
Viventium metu catervam
Quæ gravat examinatq́; triſti.

BUBO-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 104 [44,-10 8°]

BUBONE de illo quod puto maxume
Intelligendum, luſtra per avia
Qui bubulat, lucos & omneis
Concutit horribili ſonore.
Horrore quem non perculit urbium
Auditus altis turribus, aut ſacra
In æde papa cum Joannes
Sceptra ſuæ peteret tiaræ?
VVeſtfriſiorum SUMMUS in agmine
Sed BUBO longe eſt horridior ſatus;
In mortuos qui ſævit atrox
Atq; bonis laniena dira eſt.
Namq; ille aduncis duriter unguibus
Harpagat hinc atq; inde, bene edita
Parente ab Hamelmanno, iniqua
Exagitat feritate cujus
Maneis, acerbi flamma odii calens,
Calumniarum taxo & item nocens:
Olim putabatur Sophorum,
Quos temerare nefas, farinæ.
Et volgus inter trita parœmia eſt.
Doctis palatis quæ ſapit & bene:
De mortuis abſentibusq;
Nil niſi quæ bona ſunt loquaris.

Phili-

Philiſta Saulis ſi furit in jacens
Cadaver, extra haut grande piaculum;
Mezentio in crudeliore
Et facinus ſimile improbatur:
Quis crimen unquam majus inurier
Tibi negabit B u B O, ubi non mei
Parcis parentis tu beatis
Manibus, & petulanter ipſam
Famam probroſis morſibus impetis,
Conviciorum moleq; nomini
Inſurgis, inſtar ardearum
Hoc maculans olido fimeto.
O quam impiata eſt nequitiæ lues
Sævire in ipſam roſtro animam fero!
Regno beato quæ fruiſcens
Nunc Domini endo manu quieſcit.
Unde huic ſecuta eſt, dicitur, ultima
Quem pauſa vitæ, ne maledixeris:
Quin illum in orbe prædicabis
Ore animoq; beatiorem.
Hem ſano idipſum conſilio an patras?
Certe. poteſſe haut ſcis quia mortuos
Mordere, telorum tuentum
Nec pharetra hoſtibus obviare.

Et plancus olim, ne ſibi mortuo
Infeſtus eſſet Pollio, dixerat:
Cum mortuis larvas duellum
Turpiter inſubidas habere.
O Larva larvas ſupra alias ſoli,
Quei ſcenæ ad hujus dramata provenis:
An eſſe nos exiſtimabis
Tu pueros, quibus obſtetrices
Pappas ſuëſcant lingere ut, & buas,
Empuſam adumbrant? ecce viros habes
Larva nihil Potinæ inani, aut
Qui quatiuntur inani Eduſæ.
Tua haut moramur rauca crepundia.
Ipſullicum nec bracteolas: ne quis
Terrere queis placare nec nos:
Nam ſonus es niſi nugivendus.
Nos corgo flocci hæc pendimus omnia,
Cum veritatis tu nihil ariete
Demoliaris; muſca pultem
Sed veluti cadis in calentem:
Tu topper in qua, cum pedibus tuas
Alas adures ſic, ut amiculos
Inter bonos poſt non volare
Stare nec amplius ipſe poſſis.

Quid

Quid ergo poſsint marte ſuperſtites
Hoc eſt videndum tempore, num queat
BUBO tremendus voce dira
Vincere aveis ſolide canoras.
Perſuadeo unquam quod mihi vix tamen,
Ejus paludes luſcinia ut carent,
Cujus ſolet viceis obire
Rana κοαξ ſtreperum coaxans.
Tentare quid non BUBO ſed horridus
Audet probroſis ominibus ſuis,
Dum percitus livoris œſtro
Plenus & invidiæ furore,
Chartæ impudenti turpiter illinit,
Hæc buttubatis eſſe ſimillima,
Aulæ levem captandam ad auram
Et paraſiticum olere quiddam,
Quæ dictus autor in Comitum arduis
Altburgicorum rebus, origine,
Juſto modo delineandis
Hiſtoriæ ex ſcatebris poſivit.
Nec mira nobis ſunt ea, nam putat
Vacerra, bruchus, tipula, battalus,
Verum eſſe nil, cortinæ idipſum
Friſiacæ niſi comprehendant.

Tu mî videris ſtulte agere, & minus
Caute, quod aurem Friſiacis tuis
Scriptoribus præbes fidelem,
Hosq; colis vice Delphicorum
Oraculorum: pavo velut tua
Pennis inhærens verſicoloribus
Miraris, oſtentasq; more
Quadrupedantis equi teipſum:
Sed Chriſtiani non memor es typi,
Ut nempe noſcas nigritiem pedum;
Ut totus horreſcas ob illam,
Et jubeas procul eſſe criſtas.
Neceſſe namq; eſt, ut modulo & pede
Se metiatur quisq; ſuo, ut ſciat
Scandens ſui in cordis penétral
Quam ſibi curta fuat ſuppellex.
Ubi manebis B U B O venenifer
Et nugivende, Luſcinia occipit
Cantare quando Altburgiana
Dulce melos, ſimul ac Alethes
Ex ore ſumptum: cum calamum ſuum
In cantioneis hiſtoricas tuas
Stringet dein, nugis tibiq;
Ex variis pariet ruborem.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 104 [44,-10 8°]

Tunc more caudam degenerum canum
Flectes ſub alvum: deniq; difflues
Butyri ad inſtar, fors calenteis
Expoſiti ad Phaetontis igneis.
Næ cernere eſt heic quid Phaetontium:
Qui dum parentis mordicus ambiit
Auriga currus eſſe, ſemet
Ad nimis alta volando, lapſu
Gravi deorſum præcipitem dedit,
Magnis & auſis excidit. Applica
BUBO hoc tibi, aut pennas tumenteis
Icarias animo revolve.
Quorum ille pœnas igne tulit ſuas,
Hic ſolvit illud, quod meruit, vadis:
Tu pro, boni dicent quod æquum,
Supplicio, igni & aqua careto.
Tu ruminato quæſo paroemiis
Quid innuatur his ſapidis: bene
Monemur heic, perſuaſione
Ne pueri quaſi moliamur
Quidquam, vel auſu fors temerario
Ducti: reſiſtit nam Jovis ultio
Illis, & arborum retundit
Culmina, ne facile aſtra tangant.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 104 [44,-10 8°]

Quid fabuloſa heic omnia buttulas,
E veritatis quæ eruta ſunt pœnu,
Et per manus quaſi fideleis
Poſt genitis bene derelicta?
Cur VVid kindi ſtemma negas, probe,
Reuſnero idipſum dum placet? hoc probat
Henningius Reineccius q́
Lumina in hiſtoriis vetuſtis.
Antiquioris puncto in eo auſus eſt
Quis ante Crantzii dogma refellere?
Quin cuncti in hanc ſententiam ultro
Et manibus pedibusq́ iêre.
VVilshuſianum templum & idem loqui
Poteſt: in illo non ita pridem ego
Nam vidi adhuc VValberto onuſtum
E regione chori ſepolcrum.
Injurioſi tu nihil autumas
Heic eſſe factum ſtirpis origini
Ut detrahis, totumq́ conſtans
Vis Chronicum in dubium vocari?
Nunc geſta ab illo nunc alio negas,
Pomœriorum nunc male limiteis
Diſtinguis, obſcurasq́ ſtirpis
Omnia quæ faciunt decoro.

At

At vulpis hujus vafritiem vide,
Qui nunc Pilati more manus lavat.
Inſonsq́ volt plane videri
Futilis e vomiti veneni.
Conſtans Pilatus certe in eo fuit
Quodcunq́ gnarus ſcripſerat ad crucem;
At tu memor Terentiani
Illius inſubidi vafriq́
Gerronis ipſum jam facinus negas:
Quod felis ungues vix poterunt tamen
Eradere ex charta, re ipſa
Quæ Gabalum meruit Laverna.
Dignare ſannis quod temerariis
Struxiſſe eundem mœnia nobilis
Altburgicæ arcis, à maritæ
Nomine forte ſuæ profectò:
Negas quod arceis Iadam alias ſibi &
Domus vetuſtæ ſub dominatibus
Hujus, ferè oram ad Friſiorum
Obtinuiſſe, parum moramur.
Perfricta in ipſa fronte nigra, notas
Valde impudentis nempe animi tui
Verace ſignantes lapillo,
Et ſtygiis male devoventes

Eousq; lucis; donec amantior
Lucis, profundis è tenebris migres:
Et veritatis lumen ipſum
In media intueare luce.
O BUBO noſtros quam nimis impudens
Hortos amœnos hiſtoriæ involas,
Conviciorum plauſtra tecum
Ungue vehens rabido trecenta!
Miramur illud prorſus ut infrequens,
In hanc arenam quod temerarie
Deſcenderis non provocatus
Opprobrio aut aliorum adortus.
Licere idipſum quod regeris tibi
Velut Catoni ac hiſtoriæ arbitro
Multum cato & docto, Friſoni
Et quaſi crimina mille paſſo,
In hoc profecto fallere turpiter.
Nam, quod petesſit hiſtoriæ tenor,
Tu veritatis ſcripta peſſum
Fulmine noſtra parum dediſti:
Cavilla præter quando habeas nihil,
Præter Cachinnos quando habeas nihil,
Temet quibus ridendum amicis
Atq; bonis aliis propinas.

Naturæ inhæret magna tuæ lues
Si marte feciſti hoc proprio: quia
Non alteri hæc ſunt molienda
Quæ cui facta minus placerent.
Injuriarum quo Comes obruit
Temet Joannes æquore: te parens
Quo læſit Hamelmannus, auſis
Hujus ut usq; adeo beatos
Mordere maneis? Ah miſer incidi
In quæ ævitatis puncta nefariæ!
Nunc efferant hi ſæviores
Tigride: nunc alii luporum
De more atroces ſunt in oveis: furunt
Funeſta clades Harpyiæ velut
Nunc illi; an hoc tumultuoſo
Tempore credam ego prodiiſſe
Hæc ex pharetra raucisona tua
O B U B O ferali omine turgide,
Quæ concloacaſti, & locaſti ad
Limina ſtructa putris latrinæ?
Aurem ſuſurris fors levibus tuam
Tu præbuiſti incautior, anguibus
Plus noxii qui ſunt, nocivæ
Forcipis ac aciem æmulantur.

Circes vel udis ebrius urceis
Forſan fuiſti: tu fera factus es
Scrofa unde, ſcribendi laboras
Et cacoethe ſatis ferino.
Mordes amicus cur ovium lupi
Ad inſtar acri dente: Ovis an poteſt
Imbellis obtinere quidquam
Contra agilem & validum Leonem?
O Cace quam amplam progeniem ſoli
Liquiſti in arvo: ſupplicium luit
Columba; verum inviſa complex
Corvus ad aſtra volat ſolutus.
Si non veraſſes lurco voracior
Potentiorum largius offulas,
Et ſputa linxiſſes eorum
Quod proprium paraſiti habetur:
Non tam fuiſſes ad vomitum ut canis
Proclivis, ipſam nec ſtomachi nigram
Tu bilem in autorem expuiſſes:
Et cinereis macula notaſſes.
Quid BUBO dices quod tua epiſtola
Quendam Friſonem ſcripta ad amiculum
Innotuit nobis, qua aperte
Inſidias tacitas fateris

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 104 [44,-10 8°]

Græcando: quis ſit quem tu ibi nominas
Dynaſta, nutu conjicere eſt levi;
Illam nec ad rem ſciſcitandam
Nunc Rhadamantho opus eſt ſagaci.
Agnoſce quæſo judicium DEI,
Latere nullum, ſit licet abditum,
Qui volt ſcelus; qui vindicisq;
Fungitur officio ſeveri,
Præſertim adurget quando aliquid ſine
Culpa. Re ipſa tun' paraſitus es,
Ferox & Aſſaßinus, hoc qui ad
Ductus es ære ſcelus patrandum?
Hoc ſingulare eſt aucupii genus
Ad denigrandum famam hominum, palam
Cum poſſumus quod non, Sinonis
Arte doloq; graves patramus.
Tu juſte vindex ô ſcelerum Deus
Confuſionis nubila querqueræ
Hujus ſerena, exſtingue litis
Flammam, odiiq; ferocioris.
Tu dum quirito reſpice me, patris
Conviciorum plauſtraq; nomini
Ulciſcere invecta, adlatrantem ut
Pœniteat ſceleris nefandi.

Tur-

Turbaſſe garris tu quod eum ſtatum
Eccleſiarum in gramine Friſico,
Inſers parenti vim, qui amator
Pacis ubiq; fuit ſerenæ.
Non turbat unquam pacis amans: ſcatent
Turbis ibidem cuncta, ubi ſceptra ſunt
Diviſa, rex nec ſubditorum
Accipit in gremio quietem:
Ubi una conſtans relligio ſilet,
Sectariorum concio multiplex
Indigna gliſcit Chriſtiano;
Qui male concitat ex Averno
Pro chryſero atram folle crucem ſibi.
Tu juſte vindex ô ſcelerum Deus
Exurge, BUBONIS boantis
Ac male olentem abole latrinam.
Quid ſcripſit ille quod careat ſuo
Autore, cujus non habeat ratos
Teſteis? tuis quæ tu doloſe
Futilibus reprobas Cachinnis.
Ronchis ſed ex his ſtulti animi tui
Agnoſco moreis judicium & leve:
Virgis coercendum cruentis
In pueris veluti, quod eſſet.

Vul-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 104 [44,-10 8°]

Vulpes ſcholarum tu vafer & catus
Virgis juventæ ſæpe feris nateis:
At tute ob hoc enorme factum
Dignus es & ſcutica & Cataſtis.
Dignum patraſſes laude aliquid quidem,
Si perſtitiſſes pulvere in hoc tuo;
Auriga nec currus fuiſſes
Flagitiiſq; probriſq; onuſti.
Ego eminenti ſanguine ſi ſatus
Eſſem, vetuſta clarus origine,
Non tu in me ipſum tam inſolenter,
Atq; meos atavos honore
Dignos, petulci fulmina ſtringeres
Styli, probrorum aut lance laceſſeres
Injurioſa: mox flagellis
Adderem ego & gladios rotaſq;.
Nodo tenaci nam cuneus tenax
Eſt applicandus quam bene: tergora
Fuſtemq; ſemper ſegniora
Arcadici pecoris peteſſunt.
Laſcivit illud quando animal, ſuo
Credit petulco ſe glaciei gradu,
Laſciviendum & inter acri
Frangere crura ſolet dolore.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 104 [44,-10 8°]

Contingit hoc in caſu etiam tibi
Idem: ruinam poſtmodo ſenties,
Splendore in illo; fama, nomen,
Interitum & patientur atrum.
Hinc ingemiſces ſæpius, inquiens:
O ſi labellum ſi digito meum
Compeſcuiſſem, nomen amplum haut
Hiſtorici mihi deſuiſſet.
Quo ducor amens, quo feror impete!
Longe fuiſſet num ſatius mihi
Pubem rudem informaſſe primis
Literulis, docuiſſe & ultra
Tenore puræ Grammaticæ loqui;
Quam miſcuiſſe me pelago arduo
Contentionum, quæ ruinam
Forte mihi tetricam minantur.
Hem BUBO quæſo ſiſte gradum parum
Si frontis ulla eſt integritas tuæ:
Cur tam impudenter ſtirpi honoræ
Dedecoris maculam huic inuris?
Tangit Danorum quæ quoq; regium
Sceptrum, peramplas Holſatiæ & duceis,
Bilem quibus moturus an ne
BUBO putabere juſtiorem?

An eſſe longas regibus ambigis
Manus? Dynaſtæ quam facile ferunt
Damnum: jocos ſed difficulter
Ludibrium minus & Cachinnos.
Multo probroſas quin tolerant minus
Invectioneis, ſtirpium honoribus
Quæ derogant, ac immerentem
Dedecore adficiunt ſupremo.
Frauſus Gerhardus fraude Comes mala
Nulla eſt, nec ullis obſitus hic dolis
Fuit, fuiſſe Heroa qualem
Tu blateras Halaphanta nugax.
Bona Gradivi cum venia in manus
Hic geſa ſemper ſumpſit, & hoſtibus
Ægre ſuis fecit, quod illo
Tempore jura minus vetabant.
Quam notus Heros exſtiterit Comes
Gerhardus orbi, vel modo Caroli
Diploma Burgundi docebit
Herculeiq; obiti labores:
Quos fortitudo magni animi ſui
Tunc ſuſtinebat pol ſine fraudibus,
Ut ſe ſuæq; hereditatis
Jura tuerier usq; poſſet.

Et fra-

Et fratre ne eſſet rege minor ſuo
Sectatus ille eſt Martis opus grave,
Ut indipiſci nomen inde
Orbis apud procereis poteſſet.
Paßim in libellis totus at es tamen
Tuis, in illum ut probra, calumnias,
Effutias, ac immerentem
Criminis inſimules pudendi.
Cur ire ſudas inficias vafer
Hunonem in ora nullibi Friſica
Jura & poteſtatem regundi
Sub titulo obtinuiſſe juſto?
Hem tango nodos effugii tui:
Fuiſſe notum eſt impatiens jugi
Ruſtrum genus faſtum ob protervum, &
Divitias nimis inſolenteis,
Impoſti habenas cujus, atrocius
Excußit usq; ac usq;: quod & Comes
Expertus Huno eſt, quando aquarum
In ſola ſæviit alta Abyſſus.
Debet putari nec tibi res nova,
Quod iis in arvis Flora ubi claruit,
Neptunus ipſe nunc videtur
Cæruleis equitare mannis:

Et con-

Et contra avaris ebria quæ vadis
Fuere, in ollis nunc viget altilis
Napæa, quæ indies caballis
Carptim alimenta bubus miniſtrat.
Viciſsitudo hæc rebus in omnibus
Paſsim videtur. Progenies enim
Vix poſsidet quæ olim priores
Imperii tenuere frenis.
Irati & olim quæ maris abſtulit
Furor, viciſsim jam redeunt ſuum
Ad verum herum, non demorata
Alluvionis ope & favore.
Magmenta ad hæc ſi frons caperat cui,
Quæ ſummæ Olympi huic Nereides ſolo
Danunt, in arvo is pinguiori
Ad maciem redigetur imam.
Eſt Fridericus cur tibi fabula,
Qui poſt Leonem Goslariæ ferum
A ſe interemptum, mox ſequtus
Eſt pia cœlibis acta vitæ
In Raſtedenſi cœnobio. Poteſt
Teſtari idipſum vera ea ſingula
Suis in Archivis, loquetur
Tumba & idem Friderici ibidem.

Veni & videto BUTEO *livide,*
Cuncta hæc ocelli ad intuitum tui
Monſtrabimus, quæ ficta paſſim
Inſubido ingeminas boatu.
Quæ tu anſerinis cætera ſibilis
Et viperinis flatibus ingeris,
Non illa propter vanitatem
Luctificum pariunt tumorem:
Spirent licebit ſesquipedalia,
Monteis & altos parturiant, levi
Quæ vento onuſtum ſunt ſubinde
Ridiculum paritura murem.
Nam veritati dic mihi ſimplici
Nocere ſuco quis potis eſt ſuum
Mendaciorum, temnere alto &
Vera ſupercilio & Cachinnis.
Næ garrulorum morem avium refers,
Et æmularis geſtibus invidis,
Dum cæteras ludis tuæq;
Oſcine garrulitatis angis.
Vannello idem cum vel facis, imminet
Qui cæterarum nido avium ſuo
Stridore, & interim oſcitanter
In proprio vigilat ſtruendo.

Com-

Communis inter crede hominem gravis
Et error ille eſt, ut ſua negligant
Curanda; plus curare promptis
Et ſatagant aliena curis.
Nemo hinc poteſtur cernere manticæ
Tergo quod hæret: ante oculos videt
Impuritatem nemo ſordes
Cuiq; ſuæ & bene olere ſuêrunt.
Quod evenire his ante alios ſolet,
Qui faſtum ob altum diſsiliunt fere,
Et neſciunt illud vetuſtum,
Noſcere diſce lubens te ipſum.
Noſti Friſonum ſanguine te ſatum;
Noviſſe non vis aſt animi tui
Superbiam, probrum Dynaſtis
Intolerabile molientem.
Intrita quæ ſunt allia Friſica,
Tibi, priori B u B O loco exede:
Et poſtea ex noſtro vorato
Horto olus, inſipidis ſalubre.
An BVTEONI Friſiaco tibi,
Cum ſis obeſæ naris, erit bonum, ut
Hanc cum toris linguæ tumentis
Extenues natium in lacunis?

Certè. Poteſſunt pinguia narium
Sic amoveri : linguaq; blittera
  Sic expiari à vanitate
    Ut ſapiat melius deinceps.
Naſutulorum nam pecorum eſt ea,
Tum graculorum pœna dicacium ;
  Ejusmodi tenebriones
    Non ratione alia fugantur.
Tractatus iſto ni melior modo
Fies, ubinam quæſo Macháonem
  Habebimus, tuo cerébro
    Qui ſapidum helleborum propinet ?
Laudas te ipſum ſcripto aliquo, quaſi
Turbaris undam nullibi, temet &
  Integriorem aut ſanctiorem
    Vix alium reperiri in orbe :
Verum ex venenis, evomitis recens
Tuis, in ipſa & luce micantibus
  Te novimus, naturæ olentem
    Laude tua ex propria & lacunam.
VVeſtfriſiorum planicies ubi &
Lucos opacos non habet, in quibus
  Tu neutiquam ferale BUBO
    Jam potis es gemere arte carmen ;

Nos

Nos te rogamus Circe age callida
Ut noctuino ex murmura per tua,
BUBONE BUFONEM *creare,*
Ac ad aquæ Friſicæ paludeis
Ligare bardas, absq; mora, velis:
Ibi ut coaxet perpetuum, ſolis
Vernaculi in pomœrioq;
Ejaculet rabidum venenum:
Nec uls in hortos hiſtoriæ volet
Noſtros, Alethes gutture pervios;
Clamoribus quos nugivendis
Hic ſibi ſumit adulterare.
O buttubatis BUTEO *turgide!*
O ſcævitatis tu Labyrinthus es
Quantæ! faces livoris in te,
Quot rutilant alios & urunt!
Ut intus eſt mens, talia dat foras,
Timonis atras tu invidiæ plicas
Criſpas; Ariſtarchi nihilq;
Scoptica quam redoles venena.
Tu quæſo morum deſine talium,
Et ad priorem mentem iterum redi:
Merceis & apprime videbis
Eſſe tuas minimi valoris.

Salveto multum BUTEO livide
Longum & valeto: talio ſi ſatis
Pro nuperis non eſt Cachinnis
Atq; ſupercilio tumente;
Noſtræ Camœnæ poſt operam dabunt
Aliis te ipſum ut deinde coloribus
Pingant; vehant & more Cygnûm
Nomen ad aſtra tuum canoræ.
Salveto multum BUTEO livide
Longum & valeto: jam ſpoliis tuis
Altburgicis æternum ovato,
Friſiacas celebris per oras.

EJUSDEM JOANNIS HAMELMANNI Oldenburgenſis filii

ANAGRAMMATISMUS.

In perfrictæ frontis & maledici oris hominem UBBONEM EMMIUM.

BUBO SUMME, I.

BUBO SUMME citis apage hinc te greſſibus, oras.
Has nec terribili voce laceſſe tua

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 104 [44,-10 8°]

Amplius; ipſe malum mortalibus ante tuliſti
Augurium, & vivis roſtro oculisq; metum
Incuſſi: at nuper Friſiæ productus in arvo
BUBO (mali corvi nam mala & eſſe ſolent
Ova) leonino bene docti inceſſere maneis
Dente occepit atrox; tumq; venena ſui
Stercoris adſpergens, ulcus BUBONis inuſſit
Peſtiferum, occurret cui tamen alma Panax.
Carpere quid facile eſt tibi BUBO malo omine
Vaſtanti; bene ſed corrigere artis opus (cuncta
Fragmina in alterius ſæpe obſervamus ocellis,
Sed volt in propriis nemo videre trabem.
Tu lucis fugitans, lucis adſuetus opacis
BUBO, jubar lucis cernere quei poteris?
Ad Muſas Chariteisq; ſimul tu prorſus ineptus,
Non canis arte melos; triſte ſed ore boas.
Hinc facile poteris ad mureis aptior eſſe,
Qui ſunt BUBONI præda cibusq; frequens.
Rodere non Muſæ eſt, ſed muris agreſtis inertis
Qui ſine delectu rodere quæq; ſolet.
Et quia tu denſo glomeramine murium abundas
Magnum hornæ ſegeti quæ peperere malum:
Muſcipulas queis forſan eges hos ad capiendum
Vendemus pretio nos tibi ſponte levi.

K 4 *Sæpeq;*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 104 [44,-10 8°]

Sæpeq; fit mendax ut BUBO ſuo omine, ſemper
Sic noſtra arrodens Cres eris atq; Ligur.
Quis tibi ſacrilego credet, cum ex lampade tem-
Abſorbendo olei pinguia ſacra clepis? (pli
Atq; columbarum roſtro ebibis ova, catervæ
Simplicium quod te ſæpe nocere docet.
Ingrato cuculo quin pejor habebere tu ſic
Qui ſua in abſorptûm collocat ova locum.
Hujus jam nobis tu exemplum BUBO dediſti,
Novimus ut jactis, teq; tuosq; libros,
Jam pridem ex ſputis, maculas queis docta parentis
Scripta, atra famæ dedecorasq; nota.
Non decet ut propriæ laudis ſim præco paternæ
Probroſas ſordeis quæ redolere ſolet.
Quantus is, & qualis fuerit, me vate, Roſeti
Nil dicente, loqui docta Lycea queunt.
Quantus in hiſtoriis, in relligionis abyſſo
Obſcura fuerit quantus &, ille modo,
Ille modo quē ſcimus adhuc ſupereſſe Chytræus,
Hoc locuples nobis tempore teſtis erit.
Incola Lippiacus, præclara hunc Guelphus: in aula
Novit apud quos & magno in honore fuit.

Inge-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 104 [44,-10 8°]

Ingenium placidum, vitam innocuamq; docere
Quin poterit tota cum regione Comes.
O utinam ille iterum tumulo hunc excire poteſſet
Res noſtræ in fluſtro jam meliore forent.
Et tamen hunc probris adeo proſcindis amaris,
Eſſeq; vis nugas à patre ſcripta meras:
Ante quidem factum quod non decuiſſet, Alethes
Noſtra refutaſſes quam bene dicta ſtylo
Veraci; dirum neq; BUTEO voce boaſſes
Ferali, è tenebris luci inimica ſtruens.
Et quia peſtiferi BUBONIS dira poteſtur
Tubera ferre aliquis vix necis absq; metu,
Quæſo BUBO procul SUMME I, gemitus & omitte
Lugubreis, fruſtra livida roſtra quatis.
Ecce dies veniet qua voce inſignis & arte,
Qua philomela catos mittet ad æthra ſonos,
Nocturnasq; tuas explodet gutture nugas
Veriloquo, curto quæ pede ſemper eunt.
BUBO SUMME procul, procul I, lucosq; reviſe
Amplius haue tibi ſit per mera prata locus.
Tamq; diu cum Nebcadnezare vive in iisdem
Ad terram reptans pro BOVE mentis inops,

Ad mentem donec redeas oculatior ipſam,
In media & poßis cernere luce diem.

Ejusdem
EIDYLLION
De Parente H. H. Th. L.

QUando parens ego quem ſummo amplecte-
bar amore,
Oldenburgiaca lætus in urbe diem
Vitæ finiret Parcarum ſorte, Tremontii
Sub ferula magnus me Berhuſanus habet:
Tunc me abſente Comes terra in noſtrate Joan-
Illuſtrium turma concomitante virûm, (nes,
Hunc pompa celebri ſepeliri curat honeſte,
Et meritas ſequitur triſtis ad exſequias.
Triſtis eum ſequitur primaria concio civis
Concita cum tota plebe dolore gravi.
Tempore ab hoc placida est cœlorũ ſorte potitus
Vita licet variis ſit lacerata probris.
Quid faciam miſer ah, cũ denuo B u B O laceßit
Friſius exſtinctum; tetra aconita ſui
Exoneratq́ in eum ventris, linguæq́ procacis
Toxica, an illata hæc patri, ego inulta ſinam?

Patria

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 104 [44,-10 8°]

Patria relligio vetat hoc, & mutuus ignis
Hoc ad ſcribendum quæ pepulere ſtylum.
Nam quis Ariſtarchi tā immanis ferre furoreis
Eſt potis, aut calami quis tolerare ſui
Sævitiā brutā, moreisq; hoc tempore bardos,
A quibus horreret vel Scytha trux & iners.
Cur tibi tam vilis pater eſt minimiq; valoris,
Ut præter nomen nil ei ineſſe putes?
Eſſe Deo coram fateor nihil illud, in orbe
Aſt aliquid dicam Corgo fuiſſe patrem.
Non Calvo placeat licet illud forte, cicutæ
Attamen eſt gratum docte Luthere tuæ.
Teutoniæ potior pars cujus dogma fatetur,
Imperii proceres ac habuere ratum.
Vos ſectari apinas per me licet undiq; Calvi
Illius calvas affaniasq; ſequi.
Pullulat hinc odii lolium implacabilis, arvo
A quo fraternus cordis abhorret amor.
Ex hoc tanta ira prurit tantoq; furore,
Hiſtoricum ut pergat rodere patris opus.
Quo zelo hoc faciat quo jure quibusve indultis
Doctorum judex cætera turba fuat.
Cum patre ſi præſens uti ſcribis es ante locutus
Ex facie & verbis talis an ille tibi,

Qua-

Qualem deſcribis, apparuit autumno nunq̈ hoc,
Hærere & nugas credo in utroq; tuas.
Grande nefas inter doctos, cum vulturis inſtar
Alter in alterius corq́; jecurq́; furit.
Ante laceſſitus ſi BUBO à patre fuiſſes,
Poſſes de invecto aut forte dolere malo,
Non calami infeſto te fors livore notaſſem,
Quin tua legiſſem prodita ſcripta lubens:
Sed quoniam in patrē ſine cauſa injurius exſtas
Hoc mihi continget quod vetus illud habet:
Quando ego luctā ineo cum ſtercore, victor abibo
Vel victus, macula non ſine labis ero.
Quare accede, inter nos alea jacta cucurrit,
Ob palmam & grande hoc aggrediamur opus.
Tu venator eris ego ero Bonnaſus in arvo
Tu ſequere, at curſu mox ego terga dabo.
Te, niſi forte caves, maculabo ponè ſequentem
Poſticosq́; meos experiere fimos.

ALIUD.

EPIGRAMMA de avium cantu Synodico.

Quādo avibus Synodus communis dicitur, inter
Se ut cantus certent de meliore nota,
Mox regina jubet Philomela audirier omneis
Edito ut ex omni jura ſonore ferat.

Omnibus auditis ex ordine vocibus, inquit :
Vox reliquarũ avium mî ſatis hauſta placet.
Unius horreſco BUBONIS *ad omina diri*
Ad cujus gemitus terra polusq; tremunt.
Vibriſſo cantus ego nocte dieq; ſonoros,
Turba vigil cupida quos bibit aure frequens.
Ille gemit trepida feraleis nocte boatus,
Tædia mille auri, qui pariuntq; metus.
Ex doctarũ avium numero ergo hic exſulet, atq;
Perpetuũ ad ſtygias hinc migret actus aquas.
Ille ubi nocturnos ferus intonet ore ſuſurros,
Et gemat umbriferis noctis amicus agris.

Matago de Matagonibus F.

ALIUD.

EPIGRAMMA IN BUBONEM Arcadicum.

Auriculas longas cur BUBO *ad timpona geſtat*
Lumina caligant in mediaq; die?
Auribus erectis multa imbibit ebrius, atqui
Judicii minimum mentis ocellus habet.
Aut aſini indocileis imitatur BUTEO *moreis*
Qui rudat licet heic eſt rudis usq; tamen.
Nã craſſam cutẽ habet pigrã cerebriq; medullã,
In docileis gyros quæ revoluta parum eſt.

LOGO.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 104 [44,-10 8°]

Logogriphus.

Bubulat horrendũ B u B O, *Philomela vibriſſat*
Aſt ubi dulce ſuo melos ore, en ſubticet ille.

IN UBBONEM EMMIUM
Hamelmannomaſtgia.

Dirus Hamelmannũ quod denigrârit Alaſtor,
In terris ubi adhuc ille ſuperſtes erat,
Inq; virum benè tum de poſteritate merentem
Bacchatus quod ſit, carmine, voce ſtylo,
Sufficit haud, ſatiant vanæ nec ſpicula linguæ,
Quæ velut à ſæva dipſade multa tulit.
Et jam poſt obitum ſupremaq́; funera, cœlis
Gaudia dum vitæ proſperioris alunt;
Nec modus eſt, nec habet veſana calumnia finẽ,
Roditur, egregio dignus honore coli.
Eumenis inq; umbram ſeſe petulantius effert,
Manibus accumulans ſcommata dira piis.
O mores Gyaris dignos, miſerandaq́; ſecla,
Cum redit ad doctos gratia nulla viros.
Quando pro meritis ſanctis, multoq́; labore,
Hæc referunt ſtudii præmia iniqua ſui
Quanto etiam melius Rector te rexeris Ubbo,
Munia ſi officii qua decet arte colas.

De-

Defunctosq́ ſinas conceſſa pace fruiſci,
Ore nec immundo dira venena vomas.
Si liber erratis ſcatet, & ſi menda papyrus
Continet, an tibi non pharmaca ſunt alia?
Excute quod dubium, ſupple quæ manca, reſecta
Sint prava ingenii dexteritate tui.
Falſaq́ commutes veracibus omnia formis,
Judicio proſtent ut meliora tuo.
Sic auguſta tibi naſcetur adorea paſſim,
Pieris æterna ſcriptaq́ laude vehet.
Quid juvat ignotos auctoris carpere mores,
Quos alios novit docta corona virûm?
Quidq́ refers ſpolii, cujus tegit oſſa ſepulchrum;
In talem infanda quod ratione furis?
Certè ſi Pietas, Candor, Themis almaq́ junctim
Gauderent Muſæ tecta ſubire tuæ;
Non tua ſic eſſent gelido lita ſcripta veneno,
Exereres linguæ nec fera tela tuæ.
Nam quæ dentatæ Mæſonica ſcommata cartæ
Infarcis, ſunt hæc ficta reficta ſimul.
Ipſe Deus teſtis, noſtra eſt Eccleſia teſtis,
Quæ colit hanc meritò poſt ſua fata virum.
Et licet incertus, mendax quoq́ ſcripſerit olim
Auctor idem, cujus pagina caſſa fide.

Non

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 104 [44,-10 8°]

Non tamen hoc certa potuit ratione probari,
Nugarum infelix & latet usq; ſator.
Alterius ſed tu præter fas probra reſumis,
Vis quibus inſontis famam abolere viri.
Et violas alium, quo tute emergere poſſis,
Ceu verum conſtet non aliunde decus.
O Ubbo Elleborũ bibe, ede & naſturtia, præſens
Forſitan hæc morbo ſint medicina tuo.
Et ſi vis Sophiæ præclarus myſta videri,
Si Caſiæ flores & tragacanthon amas;
Parcius illa bonis precor objicienda memento,
Probraq; nec placitis velificato tuis.
Et mage ſit poſthac laudata modeſtia curæ,
Affectusq; tuos cum ratione regas.
Si ſecus; en cauſa devictus protinus omni,
Accerſes Furias in tua fata graves.
Et te digna tuis pro factis pœna manebit,
Quiq; in te rabido dente ferantur, erunt.

Martinus Petreius
Jadeleus.